This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

600088117V

PAULI LENTZII,

*A CONSILIIS QUONDAM FRIDERICI, ILLUSTRMI LAND-
GRAVII HASSO-HOMBURGICI,*

BREVIS ET SUCCINCTA HISTORIA Archi-Epiſcoporum Magdeburgenſium,

EDITA

a

SAMUELE WALTHERO,

GYMN. MAGDEB. R. ET SOC. LIT. BEROL. C.

MAGDEBURGI & LIPSIÆ,
Impenſis b. Chr. Seidelii Viduæ & G. E. Scheidhaueri,
MDCCXXXVIII.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

110. m. 744

110. m. 744

SAM. WALTHERI
PRÆFATIO.

BOno tandem omine PAVLI LENTZII, viri clariſſimi, *Hiſtoriam Archi-Epiſcoporum Magdeburgenſium*, cujus mentionem injecere Menkenius & Jöcherus in Lexico Eruditorum, poſtquam diu in ſcriniis hæredum

latuerat, tuis, candide lector, offerimus oculis, eamque, cum ſit ſuccincta & ex fide dignis fontibus hauſta, a doctiſſimis item viris approbata, tibi non ingratam fore, omnino ſperamus. Non enim ſolum clariſſimus auctor verſatiſſimus fuit in hiſtoria Germanica, ſed etiam Sagittario, at quanto viro? familiariſſimus, qui lucubrationes Lentzii & perluſtravit, & amicitiæ & boni publici cauſa ſecundis illuſtravit curis. Quo mihi dignior videtur hic labor, ut in eruditorum perveniat notitiam. Equidem non diffiteor, doctorum jam manibus teri quorundam de AEpatu Magdeburgico commentarios; ſed non omnes, me judice, ad amuſſim ſunt facti, & ad umbilicum, quod ajunt, perducti. Eminent inter eos *Krantzii* Vandalia, Saxonia & Metropolis, laude digna omnia, ſed nihil fere horum eſt impetrabile, cumque duo ultima deſint ſecula, portio

tan-

tantum eſt hiſtoriæ AEporum. Neque prætereundum eſt *Chronicon Magdeburgicum*, a *Meibomio* conſervatum, quod per ſe non parum fidei meretur, ſed non ultra dimidiam extenditur partem, ac præterea modo copioſum eſt, modo ſterile, pro more ſcriptorum mediæ, ut ajunt, ætatis. Extant etiam *Bucelini*, *Pomarii*, *VVerneri*, *Gengenbachii*, *Vulpii*, *Hübneri* labores, ſed ſumma rerum faſtigia exhibent ac partim lineas; ac licet ex veteribus Chronicis Magdeb. credantur excerpti: nullis tamen præterea teſtimoniis aliorum ſunt roborati. Quid? quod notatu digniſſima ſæpenumero ſicco pede tranſeunt dicti ſcriptores. Breviloquentiam autem colere, neque cum Salluſtio & Floro omnia ſtrictim breviterque perſtringere velle, quid tandem efficit, quam mutilam atque, quod dixi, mancam hiſtoriam? De reliquo neque hæc literarum monumenta,

ſi pauca excipias, ubivis ſunt obvia ac vulgata. Huic igitur penuriæ ut ſuccurreret Lentzius: novam AEporum Magdeburgicorum & usque ad mortem *Auguſti*, ultimi Adminiſtratoris, perductam concinnavit narrationem, brevem illam quidem, at dilucidam & multorum auctoritate & teſtimoniis munitam, adeo ut neque diligentiam deſideres, neque ordinem & ſuavitatem. Quod ſi igitur rerum Magdeburgicarum deſiderio teneris: accipe novum hoc munus, literato orbi non invidendum, poſtquam *Henricus* Lentzius, filius, Bardenfleti in agro Oldenburgenſi paſtor bene meritus, has paginas mecum communicavit, ea conditione, ut publici juris facerem. Quare has curas non ſolum recenſui, ſed etiam notas inſperſi, ut aliquanto plenior & in nonnullis limatior eſſet hiſtoria. Quanquam, quid in hiſtoria Epiſcoporum limatum & perfe-

ctum ſit, difficilis eſt quæſtio. Raro enim, concordant cives & Epiſcopi, in libera civitate viventes. Scribere igitur, quod Epiſcopo placeat, omnino arduum & fere moleſtum eſt civibus. Horum autem jura ſequi & defendere velle, quid hoc eſt aliud, quam Epiſcopis obverſari? Si igitur & Lentzius, Vir clariſſimus quædam immiſcuit, quæ Magdeburgenſibus forte ingrata ſint: mirum id nemini videri debet, quoniam veritas ſæpe in occulto eſt. Suo igitur tempore ſuppeditabimus, quod ad rem pertinet Magdeburgenſium, quodque congruum eſt dicere de AEpis. De reliquo vitam Pauli Lentzii ex programmate funerali, quod adjeci, cognoſces. Vale.

Pro-

PROGRAMMA
IN FUNERE
Viri Nobiliſſimi, Ampliſſimi & Conſultiſſimi
DN. PAULI Lentz,
Sereniſſimi Principis ac Domini
DN. FRIDERICI
Haſſiæ Landgravii
Conſiliarii aulici
D. XXV. OCT. MDCCV.
P. P.
IN ACADEMIA JULIA.

PRO-RECTOR ET SENATUS
ACADEMIÆ JULIÆ
CIVIBUS ACADEMICIS
S. D.

Quam certo nos, & quam inevitabili neceſſitate mors expectat, tam incertum eſt, quo ea tempore, quo loco, unumquemque noſtrum ſit invaſura. Exemplum ejus rei præbuit dies menſis hujus poſt decimum octavus: quo vivendi finem apud nos invenit Sere-

niſſi-

niſſimi Principis ac Domini, DN. FRIDERICI Haſſiæ Landgravii Conſiliarius aulicus, PAVLVS LENTZ, in pleno ætatis robore, pia quidem, adeoque beata, eo tamen magis deploranda morte extinctus, quo acerbius cum mœſtiſſima matre miſelli orphani afflicti ſunt, conditionis ſuæ gravitatem, & ingentem jacturam per ætatem non ſatis intelligentes. Reddetur hac luce exanime corpus communi omnium matri, & humanitatis officia poſtulant, ut Vos, Cives cariſſimi, ad exequias conſultiſſimi viri cohoneſtandas convocemus, & ſimul quæ de natalibus, vitæ curſu, & beato ex hoc diſceſſu accepimus, ad poſteritatem transmittamus.

Anno ſeculi proximi ſexageſimo & primo die 24. Nov. vitæ ſcenam ingreſſus, lucem primo adſpexit in Marchiæ veteris metropoli, Stendalia, urbe ad Vechtam ſita. Patrem ibi nactus eſt virum pl. reverendum, SAMVELEM LENTZ, Philoſophiæ Magiſtrum, qui, poſtquam a Laurentio Scheurl Theologiæ tum in hac academia Profeſſore in convictum & domum receptus, ad miniſterium cum fructu obeundum per integrum ſeptennium ſe præparaſſet, Eccleſiæ cathedralis Stendalenſis paſtor fuit. Avus ipſi contigit M. SAMVEL LENTZ, primum Schuſanus, poſtmodum Haldenslebienſis paſtor & vicinarum eccleſiarum Inſpector: qui noſtri parentem ſuſcepit e MARGARETHA RAMBOVEN,

cujus pater apud Sehuſanos magna ſolertia & non minori fide & integritate mercaturam exercuit. Proavus noſtro obtigit vir pl. reverendus M. JOHANNES LENTZ, qui ſacro miniſterio perfunctus eſt primum in comitatu Rupinenſi, ex eo in Marchiam Prignizianam translatus in oppido **Kuniß** evangelium prædicavit, exinde in Rupinenſem comitatum reverſus Wuſterhuſæ ſalutarem doctrinam propoſuit, & tandem in patriam redux paſtor primarius Sehuſanus & vicinarum eccleſiarum Inſpector civibus ſuis conſequendæ ſalutis viam monſtravit. Genuit vero JOHANNEM iſtum SIMON LENTZ generis nobilitate clarus in Damburg, cujus loci Præfecturam majores ejus per ducentos annos hæreditario jure obtinuerunt, *) cum plurimis nobilium familiis matrimoniis juncti. Hæc de ſtirpe paterna accepimus.

*) Sub titulo **der Burggraffen.**

Non minus celebres fuerunt, a quibus maternum ſanguinem duxit. Matrem enim habuit CATHARINAM GRANTZOVIAM, MICHAELIS GRANTZOVII Eccleſiæ cathedralis Stendalienſis paſtoris primarii, & ANNÆ **Schallers** filiam. Fuit hæc filia ISAACI **Schallers** ejusdem Eccleſiæ cathedralis primarii paſtoris & CATHARINÆ **Bellings**, cujus parens, JACOBVS **Belling** ejusdem Eccleſiæ paſtor, eandem ſuſcepit

ſcepit ex OTTILIA Walters, quæ priore conjugio juncta fuerat M. AMBROSIO Behrens, B. Doctoris Martini Lutheri ſororis, MARGARETHÆ, filio. In cujus rei memoriam Noſter inter pretioſa reſervavit annulum, quem B. Lutheri digitum ornaſſe conſtabat. *)

*) Vid. Sächſiſche Merckwürdigkeiten. p. 929.

Hac ſtirpe genitus, baptiſmi lavacro aſperſus, in memoriam factæ regenerationis PAVLI nomen reportavit. Simulac per ætatem licuit, pietatis & ſalvificæ fidei capitibus, nec non primis literarum rudimentis, ætati iſti convenientibus mature imbutus eſt. Obtigit ipſi in patria ſtudiorum moderator M. HENRICVS HORNEJVS, Conradi Hornei, de Academia Julia & univerſa Proteſtantium Eccleſia præclare meriti Theologi, filius, ſcholæ Stendalienſis tum Rector, utriusque literaturæ peritiſſimus, qui in excolendo Lentzio nulli operæ pepercit. Hujus viri fideliſſima informatione in decimum usque & quintum ætatis annum magno fruebatur ſtudiorum incremento, quando ſollicita mater, patrem enim annus ſeculi ſeptuageſimus ad beatarum animarum ſedes transmiſerat, filium hunc ad fratrem natu maximum, apud Aſcanienſes quæſtoris ſupremi munere fungentem, miſit. Ab hoc in publicam oppidi illius ſcholam ductus, inſignes fecit per proximum biennium in literarum ſtudiis progreſſus.

 Teſtan-

Teſtantur de eo egregia in Græca pariter & latina lingua ſpecimina, quæ ipſi his oculis vidimus. Ex Aſcanienſi ſchola anno ſeculi poſt ſeptuageſimum octavo in Magdeburgenſem translatus fuit, tali ſucceſſu, ut anno proximo, cum nondum explevíſſet octavum poſt decimum, lectionibus academicis cum fructu audiendis dignus judicaretur.

Elegit vero academicæ culturæ illuſtrem Salanam, & hanc anno ſeculi iſtius ſeptuageſimo nono ingreſſus, celeberrimos Juris Profeſſores, qui legum tabulas tum interpretabantur, tum in privatis, tum in publicis auditoriis conſtanter & indefeſſa induſtria audivit. Cum vero manuductione viri doctiſſimi, Levini Boyſen, Aſcanienſis civitatis tum Secretarii, hodie Conſulis, aliquem ſtudii hiſtorici guſtum accepiſſet, dulcedine ejus allectus excellentiſſimi Domini Sagittarii fide & dexteritate adjutus, tales fecit in annalium perveſtigatione progreſſus, ut & ipſe tractatum *Hiſtorico-Politicum de Archi-Epiſcopis Magdeburgenſibus* conſcriberet, & commilitiones manuductionem ejus in ampliſſimo hiſtoriarum ſtudio expeterent.

Verum enim vero commendatione præceptoris illius ſui obtinuit, ut generoſus Dominus a Trotten filiis ſuis natu majoribus hunc daret ſtudiorum pariter & morum directorem ac moderadera-

deratorem. Hac provincia per integrum quadriennium perfunctus, Belgium adire decrevit. Ingreſſus eſt hoc iter anno poſt octogeſimum quinto & octo menſium intervalla, ſalutatis præcipuis ejus academiis ad fratrem rediit, & paulo poſt illuſtri Domino de KOLHANS Sereniſſimi Principis ac Domini, DN. FRIDERICI Haſſiæ Landgravii conſiliario intimo innotuit, atque commendatione ejus adjutus, primum Actuarii, poſtmodum Secretarii locum obtinuit. In utroque hoc munere ſereniſſimo Principi prudentiam, & in rebus agendis dexteritatem ita probavit, ut Conſiliariorum ordini adſcriptus, primo Cameralibus annumeraretur, paulo poſt ad Conſiliariorum aulicorum ordinem tranſiret. Quin clementiſſimum Principem ipſi nuperrime inter intimos Conſiliarios locum decreviſſe accepimus. Quamvis autem in aulica ſtatione ſatis proſpere omnia ſuccederent, tamen huc ſe contulit, ubi omni tempore, quo apud nos commoratus eſt, talem ſe præſtitit, ut religioſæ pietatis, beneficentiæ erga pauperes, vitæque pacatæ transactæ teſtimonium omnes, quibus innotuit, lubentes & merito nobiscum præbeant.

Anno poſt ſexcenteſimum nonageſimo de familia condenda cogitationes ſuſcipiens vitæ ſociam quæſivit, in quam adminiſtrandæ rei familiaris curas devolveret. Qualem quæſivit, talem invenit in HEDWIGE

ELISABETHA, viri nobiliſſimi & conſultiſſimi DN. HENRICI BENNEN Sereniſſimi Landgravii Conſiliarii & Præfecti in Hötenſchleben vidua, viri maxime ſtrenui, MARCI EHWALD, cui potentiſſimus Rex Daniæ munitionis Bretenbergenſis defenſionem commiſerat, filia, jam vidua mœſtiſſima. Conjugium hoc ſicuti conſtanti concordia ſuaviſſimum, & mutuo amore firmatum, ita nec infœcundum fuit. Suſcepit enim ex hac tori ſocia caſtiſſimi amoris pignora ſex, filios tres; CHRISTOPHORVM, FRIDERICVM & HENRICVM. Filiarum primo genita CATHARINA HEDWIG, altera SOPHIA HENRIETTE, minima omnium LOVYSE MARIA vocatur.

Valetudine ipſum antehac ſatis firma fuiſſe accepimus. Adverſam tamen expertus eſt, poſtquam annis proximis humores ſcorbutici ad pedes prolapſi dolores arthriticos excitarunt, & ſimul calculo renum laborare cœpit. Primo menſis hujus die exquiſitiſſimi dolores ſiniſtrum latus affligebant, quos ex eo genere arbitrabatur eſſe, quos artis filii colicos vocant; ſed, quicunque fuerint, paulo poſt ceſſare videbantur. Verum circa tertiam poſt ſolis occaſum horam alius hoſtis ex inſidiis erupit, majori impetu dextrum latus invadens, & dolores acutiſſimos comitabatur urinæ ſuppreſſio. Hac rerum facie Medici opem implorabat;

rabat, advocato ordinario oppidi hujus Phyſico, qui nihil in ſua fide & arte paſſus eſt deſiderari. Sed tanta erat morbi vis, ut per integrum octiduum nullis medicamentis expugnari potuerit. Nono morbi die calculi ejiciebantur duo, quos copioſa, ſequebatur urina. Ex eo ſpes affulgere cœpit de valetudine utcunque recuperanda. Verum, ut ſunt ſpes noſtræ fallaces, die menſis duodecimo dolores ſiniſtrum latus exercuere. Ceſſabat ſimul omnis cibi appetitus, & quantulumcunque ejus aſſumeretur, per vomitum rejiciebatur, & accedebant alvi obſtructiones & urinæ ſuppresſiones. Advocabatur ſimul in conſilium experientisſimus Dominus Gakenholtz, Medicinæ Doctor & Profeſſor celeberrimus, ſed tanta gravisſimorum ſymptomatum caterva irruente, nullus relinquebatur medicamentorum efficaciæ locus. Sequebantur ſingultus atque ſopores cum aliis imminentis mortis indiciis. Ipſe vero acutisſimos dolores patientisſimo animo perferebat, divinæ voluntati ſe penitus permittens. Cum non procul abeſſe ſentiret decretoriam horam, conjugem dilectisſimam cum ſuavisſimis liberis ad lectum vocavit, eosque Servatori piis ſuſpiriis commendavit, utque ad vitæ usque finem in vera fide & vitæ ſanctimonia perſeverarent, gravisſimis verbis admonuit. Iſta locutus, omnes a ſe diſcedere jusſit: ipſe vero piis ſuſpiriis animam corpore mox egreſſuram non deſiit Deo commendare; donec ſecunda poſt meri-

diem hora ſuperveniente ſomno pie & placide ſpiritum emiſit, poſtquam in hoc ærumnoſo ævo exegiſſet annos quadraginta & tres, & menſes propemodum undecim.

Gratulamur beate defuncto felicioris vitæ portum; viduæ autem precamur, ut dolorem pietas vincat, & benignisſimum Numen ipſi & tenerrimis liberis mariti parentisque jacturam gratia ſua largisſime compenſare velit. Corpus exanime mœſtisſima matrona hodierni hora prima monumento inferre decrevit, & ut funeris iſtius deductionem veſtro etiam comitatu honeſtare velitis exoptat, & nos quoque Vos amice invitamus. Valete, &, dum tempus eſt, bene vivite, ut aliquando bene etiam mori poſſitis. P. P. in Acad. Jul. D. xxv. Octobr.
ANNO MDCCV.

I.N.I.

I. N. J.

§. I.

ARchi-Epiſcopatus Magdeburgenſis, cujus lineamenta hiſtorica præſenti diſſertatione ducere animus eſt, nomen habet a clariſſima ampliſſimaque urbium ſeptentrionalis Thuringiæ, a) quæ nunc eſt pars inferioris Saxoniæ, *Magdeburgo;* de cujus originibus ac nomine hic in limine pauca afferre inſtituti noſtri ratio videtur poſtulare.

a) in Saxonia, libro I. cap. 25.
Magdeburgum Northuringiæ quondam fuiſſe computatam, varia docent diplomata a MARCO WAGNERO in libello Germanico, de Vita Caroli M. collecta.

§. 2.

Quemadmodum vero plurima, quæ de antiquioribus urbium nonnullarum originibus diſputantur, figmenta mera ſunt & aniles fabulæ: ita profecto non pauca, quæ de Magdeburgi extrema antiqui-

tiquitate circumferuntur, in hanc claſſem referre cogimur, utpote quorum fides ſinceris nullis neque peregrinis neque domeſticis monumentis eſt ſubnixa; id quod paullo luculentius erit oſtendendum.

§. 3.

Sicco pede hoc loco præteribimus fabuloſam illam narrationem de VII. burgis a Julio Cæſare in honorem VII. planetarum per Germaniam paſſim exſtructis, cui & Magdeburgum noſtrum annumerare ſolent; quippe quæ jamdudum ab ALBERTO KRANTZIO, JOHANNE POMARIO aliisque eſt exploſa. b) Altius inſedit animis quorundam vana perſuaſio, eam urbem jam tum Julii Cæſaris ævo quinquaginta fere ante natum Chriſtum annis floruiſſe, immo metropolin Romanorum urbemque caſtrenſem (eine Römiſche Haupt- und Lager-Stadt) fuiſſe; quod vero poſtea Germani eam prope funditus everterint, à Druſo, neſcio quo, flori priſtino reſtitutam, Ducumque limitaneorum ſedem conſtitutam eſſe. c) His propius accedit KRANTZIVS, cum de ejus primordiis ita ſcribit: d) *In Magdeburg, quæ ripam tenet Albis fluminis, arx ab olim præcipua, quam ego limitaneis Romanorum ducibus extitiſſe crediderim, cum jubente Auguſto Cæſare TransAlbianos Romani non attingerent: ne tamen illos viderentur formidaſſe, in ripa fluminis ad hoſtes verſa præſidium conſtituerunt.* Alii porro, & in his BILIBALDVS

PIRCK-

PIRCKHEIMERVS, e) quique hunc ſequitur JOHANNES ANGELIVS WERDENHAGEN f) augurantur, Meſuvium iſtud, cujus mentionem facit Ptolomæus Alexandrinus, idem plane eſſe cum Magdeburgo.

b) in Chronico Magdeburgenſi. Jungatur JO. JVSTVS WINCKELMAN in Notitia Hiſtorico-Politica veteris Saxo-Weſtphaliæ, lib. II. cap. I. num. 9.

c) Vid. ſupplices literæ Magdeburgenſium ad Ferdinandum II. Imp. quas exhibet BENJAMIN LEVBERVS in Diſquiſitione plenaria Stapulæ Saxonicæ, num. 336.

d) in Metropol. lib. I. cap. 3.

e) in Opuſculis Hiſtoricis p. 102.

f) de Rebuspublicis Hanſeaticis, p. 3.

§. 4.

Verum omnes & ſingulas, quas hactenus recenſuimus, ſententias non ſatis firmo ſtare talo liquido patebit puto, ſi ad normam antiquorum fideique magis perſpectæ hiſtoricorum eas examinaverimus.

§. 5.

Qui a temporibus Cæſaris origines Magdeburgenſes deducunt, nimium confidunt commentis fabuloſis: hiſtoricorum enim incorruptorum fide deſtituuntur, ſine quibus tamen inoffenſo pede in his talibus progredi haut licet. Et vero quemadmodum turpe eſt legum doctori, ut vulgata habet

JCtorum regula, loqui ſine lege, g) ita probroſum erit magis in his talibus, ſine monimentis hiſtoricis aliquid aſſerere velle. Quamobrem operæ pretium non fuerit, opinioni huic confutandæ immorari, præſertim quia vir harum rerum callentiſſimus, BENJAMIN LEVBERVS eandem prolixe & accurate confutavit. h)

g) Novell. XIIX. c. 5.

h) in lib. de Stapula Saxonica, n. 371.

§. 6.

Non minorem produnt ἀνιστορησίαν, qui a Druſo eam reſtauratam & munitam eſſe ſibi perſuadent, cum teſte illuſtri Viro HERMANNO CONRINGIO i) nemo hiſtoricorum, qui expeditiones Romanas in Germania usque ad ſeculum a nato Chriſto quintum ſat prolixe deſcripſerunt, vel verbulo alicujus urbis per magnam hanc Germaniam ſtructæ meminerit. Contra vero certiſſimum videtur viro celeberrimo, k) ætate Caroli M. in omni Saxonia, id eſt, Weſtphalia, Angaria, omnique illo tractu, qui eſt inter Viſurgim, Albim, Melibocum montem & Salam amnem, immo nec trans Albim ad Eidoram usque, ubi nunc floret Holſteniæ ducatus, nullam omnino urbem inventam eſſe. l) Quin & ne vicum quidem ibidem a Druſo eſſe conditum prolixe ſatis demonſtra-

ſtravit LEVBERVS laudato libro m) quo ne actum agamus, benevolum lectorem remittimus.

i) in diſſertatione de Urbibus Germaniæ, §. 23.

k) laud. Diſſert. §. 17.

l) Add. PETRVS LAMBECIVS in Originibus Hamburgenſibus lib. I. p. 8. WINCKELMAN. ſupra citato tractatu, lib. II. cap. 9.

m) num. 384. & ſequ.

§. 7.

Sententiæ Pirckheimerianæ Magdeburgum pro antiquo illo Meſuvio venditanti calculum noſtrum adjicere non ſuſtinemus. Etenim trophæa Druſi, quibus annumeratur Meſuvium, ubinam poſita fuerint,

Hiſtorici certant & adhuc ſub judice lis eſt,

cum alii locum illis aſſignent non ad Albim, ſed Viſurgim, n) alii alio referant; de quo nunc accuratius diſpicere, noſtri non eſt propoſiti.

n) Vid. P. BERTIVS in Commentario rerum Germanicarum, lib. I. cap. 21.

§. 8.

Omnium optime in his ſentire videntur C. MEIBOMIVS o) & ὁ πάνυ CONRINGIVS, p) qui antiquiſſimum Magdeburgi ſtatum inveſtigantes pedem figunt circa tempora Caroli M. Francorum regis; quibus illud aliquid celebritatis habuiſſe, &

 forte

forte vicum nullis licet mœnibus cinctum fuiſſe ex Capitularibus Carolinis comprobant.

o) in Chronico monaſterii Bergenſis, p. 4.

p) de Origine Juris Germanici, in additamentis ad p. 94. it. in Diſſ. de urbibus Germanicis, §. 84.

§. 9.

Hic tamen ſucceſſu temporis a Vandalis, Hungaris & Bohemis penitus fuit deſolatus, q) donec tandem Otto M. rex Germaniæ inſtinctu Edittæ Conjugis, amœnitate loci captæ, eum inſtauratum in urbem promoveret. r) Factum hoc eſſe anno θεογεννησίας D CCCC XXXIX. SIGEBERTVS GEMBLACENSIS paucis his verbis memorat: *Rex Otto conſtruit urbem Magdeburch, quæ & Parthenopolis, id eſt virginum civitas dicitur.* Verum quia jam privilegia duo anno D CCCC XXXVII. Eccleſiæ Magdeburgenſi data a Meibomio s) afferuntur, ſcrupulum ea movere poſſent, niſi forſan dixeris, non diu ab exordio regiminis Ottoniani, quod in annum D CCCC XXXV. incidit, condi cœptam Magdeburgenſem urbem laudato anno XXXIX. qualitercunque fuiſſe completam. Et neſcio an in hanc ſententiam trahi queant ſequentes verſiculi in Chronico Mindenſi. t)

Dum nongentenus ter denus ducitur annus,
Extitit a Chriſto tunc Rex magnus pius Otto,
Magdeburg *anno fuit hujus ſtructa ſecundo.*

Si

Si enim anno Ottonis regis ſecundo extructum fuit Magdeburgum, factum id fuit anno Chriſtiano poſt nongenteſimum ſexto & trigeſimo: ut adeo primi verſiculi annus nongentenus ter denus decadem annorum deſignet citra trigeſimum & quadrageſimum hujus ſeculi annos decurrentem. Donavit poſtea hunc locum Otto M. Edittæ ſuæ, ejusdemque dotalitium eſſe voluit, id quod colligere licet ex diplomate quodam a Meibomio u) itidem prolato.

q) KRANTZIVS in Saxonia, lib. III. cap. 24.

r) Vid. WITICHINDVS Corbejenſis, Annalium lib. III. p. 35. DITMARVS Merſburgenſis lib. II. p. 19. GOBELINVS PERSONA in Cosmodromio, ætate VI. c. 48. THEODORICVS a NIEM in Nemore Unionis tractatu VI. p. 481. KRANTZ. dicto loco.

s) in calce Annalium WITICHINDI, p. 117.

t) Hoc primum è tenebris erutum Hermanno de LERBEKE junctum edidit Henricus Meibomius.

u) d. l. & pag.

§. 10.

Quæ de nomine urbis paſſim a ſcriptoribus afferuntur, partim nullo legitimo antiquitatis monumento fulciuntur, partim hiſtoricæ veritati e diametro repugnant. Rationem denominationis ridiculam habet gloſſa ad WEICHBILD. art. X. fol. 19. lat. 1. col. 2. Sunt qui a Parthena, Julii Cæſaris, quam ferunt, concubina ἐτυμολογίαν petendam eſſe contendunt. Hanc enim in deliciis

fuiſſe

fuiſſe Cæſari, atque id propter novam urbem ejus honori dedicatam Parthenopoleos nomine inſignitam volunt. x) Sed

Sunt apinæ tricæque & ſi quid vilius iſtis,

cum certiſſimum ſit, Julium Cæſarem nunquam eo locorum perveniſſe, nec unquam concubinam nomine Parthenam habuiſſe.

x) Vid. ANDREAS WERNERVS in Chronico Magdeburgenſi.

§. II.

Reperiuntur alii, qui nomen datum a Veneris ſimulacro tribusque Gratiis, religioſe ibi cultis, magno conatu probare laborant, quaſi ſcilicet Magdeburgum ſit urbs virginum ſive puellarum. *Has ego*, inquit Krantzius, y) *reliquias crediderim Romanæ olim religionis, verius ſuperſtitionis, cum Druſus Nero & deinde filius ejus Germanicus ſub Auguſto Cæſare præeſſent provinciæ.* Cæterum rident hanc opionem & merito quidem PETRVS BERTIVS z) RITTERVS a) & JO. CONRADVS DIETERICHVS b) eo quod nullibi legatur, Romanos hic conſediſſe, nec probabile ſit, tum temporis Germanos Romanorum Divis ſacra feciſſe. Putant itaque nomen una cum inſignibus urbis, quæ ſunt virgo muro inſiſtens & ſertum dextra manu præferens, rectius deduci ab Editta Ottonis M. conjuge, utpote quæ a marito ſuo fundationem novæ hujus urbis impetrarit, & virginei deco-

decoris ſymbolum, ſertum ſcilicet, inſigne eſſe voluerit. Verum in eo minimum hallucinantur hi autores, quod primum Magdeburgi fundatorem agnoſcant Ottonem, cum paulo ante jam ſit oſtenſum, natales ejus rectius referri ad tempora Carolingica. Et forte ſuperavit illa, quandoquidem burgos hoc eſt caſtella præcipue in montibus munita veteribus Germanis non defuiſſe Aſciburgium apud Tacitum aliaque ejus generis apud Ptolemæum arguunt. c)

y) Saxon. lib. II. cap. 12. quem & vide Metropol. lib. I. cap. 3. & POMARIVM in Chron. Magdeburg.

z) parte III. Commentarii rerum Germanicarum, p. 601.

a) in Coſmographia metrica, lib. IV. p. 592.

b) in Diſſertatione de Ottone M. §. 13. p. 142.

c) §. IIX.

§. 12.

Licet itaque in tanta rerum incertitudine ac opinionum varietate, quid ſtatuendum ſit, vix reperiamus: a vero tamen non adeo aberraverimus puto, ſi Krantzii ſententiam a fabulis, quibus incruſtata, vindicatam præpollere, atque adeo idolum Veneris ibi cultum huic loco nomen dediſſe conjecerimus. Quamvis enim facile largiamur Bertio & ejus ſectatoribus, ea quæ de forma & ſtatu Veneris a KRANTZIO d) SEBASTIANO MüNSTERO e & aliis narrantur, commentitia eſſe: ex fide dignis tamen ſcriptoribus conſtat, Saxones

D ſumma

ſumma veneratione coluiſſe Deam Oſtar ſub Veneris imagine. f) Quid ſi ergo dixerimus, Magdeburgi olim receptum fuiſſe hujus Idoli cultum? Sed conjectura eſt fateor, quam nemini velim obtrudere. Tu, benevole lector, ex his opinionibus.

Elige cui dicas: Tu mihi ſola places.

Additio Waltheri. *Ex natura ſuperſtitionis Saxonicæ nos omnino colligimus, fuiſſe Frejam, deam amoris, quam ſi velis Oſtar appellare, nihil impedimus. Nec tamen proinde cum Crantzio ſentiendum eſt, fuiſſe Venerem Romanam, cum Saxones reſpuerent Italorum cultum. Multo magis ridemus* SCHEDII *de Venere Magdeburg. ſententiam, quam ex Crantzio & Bothone in libro de* diis German. *propoſuit.* Conf. *Orig. noſtras Magdeb.*

d) locis ſupra citatis.

e) in Coſmographia univerſali, lib. III. p. 718.

f) Vid. M. FRIDERICVS BESSELIVS in animadverſionibus ad Eginhartum de Vita Caroli M. cap. VII. p. 32. nec non Thuringia Antiqua Lit. A. P. 1. & 2. de Wodan.

§. 13.

De initiis Archi-Epiſcopatus nunc agendum erit. Refert Chronicon Mindenſe g) Carolum M. Schidræ (hodie Schier in Comitatu Lippienſi inter Steinhemium & Ludam;) condidiſſe Epiſcopatum, qui a Brunone & Tanquardo Saxoniæ Principibus Vallerslebiam, deinde ab Henrico Aucupe Froſam, poſtremo ab Ottone M. Magdeburgum ſit translatus

tus anno Domini D CCCC LXVII. h) Jam ab aliquot retro annis pium hoc negotium agitaverat Otto M. verum renitente ac contradicente Bernhardo Halberſtadenſi Epiſcopo, ad cujus diœceſin tunc ſpectabat Magdeburgum cum vicino tractu, iſto vivente conficere non potuit. i) Plenius conſtabit hac de re ex narratione Krantzii, quam ſubjicimus: *Rex*, inquit k) *proſperatum videns novæ molitionis opus, de religione cogitavit: Epiſcopum ibi, imo metropolim deſignare conſtituit, Vandalis ad fidem Chriſti multiplicatis. Deerat territorium, quod è vicino totum Halberſtadenſis Epiſcopatus implevit. Egit rex primum placide cum Bernhardo Epiſcopo, ut cederet partem ditionis novo Epiſcopatui. Ille renititur, Eccleſiam ſuam multiplicare, non attenuare ſibi eſſe præceptum impoſitum. Quid multa? ubi non ſuaſionibus, non precibus profecit, vi pro more regum agere contendit: juſſit captum Epiſcopum incarcerari. Ille patienter omnia ſuffert, priusquam jura ſuæ patiatur attenuari Eccleſiæ. Rex moram interponit, ut manſueſcat ex tempore, ſed in eo nihil mutatur. Aderat ſacra Jovis Dominicæ cœnæ: quaſi chrisma conſecraturus, juſſit in carcerem dari pontificalia ornamenta: quibus indutus, regem jubet acciri. Credens jam emollitum, & malis perdomitum venit. Ubi aſtitit, Epiſcopus inchoat: In nomine, inquit, ſupremæ Trinitatis anathematizo te, rex, cum omnibus, qui te non deſerendum putant, quod manum injeceris, & detines* 967.

 Chri-

Chriſtum Domini. Rex cachinno excipiens, digreditur; altius tamen deinde deſcendit in pectus ejus pontificalis imprecatio. Et intra ſe reverſus miſit, qui Epiſcopum laxarent, impetrata venia. Ita obtinuit Epiſcopalis ſeveritas, ne ſe vivo aliquid Eccleſiæ detraheretur. Hactenus ille. Locus carceris Epiſcopalis in ſacellum mutatus viſitur ſub ſcalis Quedlimburgenſis arcis accepto nomine S. Nicolai in Vinculis, teſte Cl. SAGITTARIO in hiſtoria Halberſtadenſi. l) Poſtquam autem in fata conceſſiſſet Bernhardus, eique ſuffectus eſſet Hillibardus: Imperator negotium denuo urſit, nec difficulter ab eodem impetravit. m) Sic igitur primordia ſua habuit Archi-Epiſcopatus Magdeburgenſis
967. anno DCCCCLXVII. vel LXVIII. rem confirmante Johanne XIII. P. in Concilio Ravennatenſi. n)

Additio. *Dum cl. autor de ipſo AEpatu diſſerere pergit: referenda huc ſunt omnia diplomata, quæ Sagittarius, Lünigius & Leuberus collegerunt. Inter alia SAGITTAR. in hiſt. AEp. Magdeb. §. 70. ad a. 959. memorat, Leuberi diploma de Brunnen, Ununesburg &c. dubio non carere, ſi tempus Indictionis & annum regiminis Ottonis I. ſpectes. Verum enim vero ex authentici dipl. inſpectione cognitum mihi eſt, de numero Indictionis nihil eſſe falſi, ſed pro anno regiminis 25. ponendum eſſe 28.*

g) pag.

g) pag. 99. 100.

h) Idem aſſerunt WERNERVS, ROLEVINCK, de Weſtphalorum ſive antiquorum Saxonum ſitu, moribus, virtutibus & laudibus, parte II. cap. 8. KRANTZ. in Metropoli lib. III. cap. 28. & in Saxonia lib. IV. c. 7. MEIBOM. de pagis Saxonicis, p. 95. & plures alii a celſiſſimo AVCTORE Monumentorum Paderbornenſium laudati p. 202.

i) DITMARVS lib. II. p. 23. GOBELINVS PERSONA in Coſmodromio, ætate VI. p. 203.

k) in Metropoli lib. III. cap. 10. Add. Sax. lib. IV. cap. IV. Repetit ex eo MVNSTERVS Coſmographiæ univerſalis lib. III. p. 378.

l) pag. 21.

m) Vid. DITMARVS lib. I. pag. 28. 29. GOBELINVS PERSONA ætate VI. pag 202. PAVLLVS LANGIVS in Chronico Citizenſi. p. 756. KRANZ. Saxon. lib. IV. cap. 14.

n) Vid. Decretum Concilii Ravennatenſis de erectione Archi-Epiſcopatus Magdeburgi, quod refert MEIBOMIVS ad calcem Witichindi a ſe editi, p. 108. CÆSAR BARONIVS in Annalibus Eccleſiaſticis, ad annum 967.

§. 14.

Quamvis autem Otto Cæſar jam in eo eſſet, ut noviter conditæ huic Eccleſiæ Archi-Epiſcopum præficeret Richarium, Monaſterii Magdeburgenſis, quod hodie Bergenſe vocant, Abbatem, inſtinctu præcipue Annonis Berbetomagenſis & Othvvini Hildesheimenſis Antiſtitum: ſycophantiis tamen quorundam aulicorum eo adductus eſt Cæſar, ut rejecto Richario ADELBERTVM cœnobitam Trevirenſem, Ruſſiæ prius ordinatum Præſulem, ſed a gentilibus expulſum, ad hoc eveheret faſtigium. o) Subjecit autem Archi-Epiſcopatui ſuffraganeos V. Merſburgenſem, Cizenſem, Miſnenſem, Brandenburgenſem ADELBERTVS.

ſem & Havelbergenſem, prout tradit M. ADAMVS Canonicus Bremenſis p) & qui eum ad verbum exſcripſit, HELMOLDVS, Presbyter Boſovienſis. q) Poſnanienſem addit ex Ditmaro Gobelinus Perſona. r) Hujus Archi-Epiſcopi temporibus Eccleſia Magdeburgenſis Primatu ſeu ſuprema inſpectione ac ſacra jurisdictione in omnes Germaniæ Archi-Epiſcopos ab Ottone M. Imp. ornata fuit: id quod luculenter oſtendit ſingulare nobilitatis Germanicæ decus Bernhardus a MALLINKROT s) & vel ex eo manifeſtum fit, quod hoc ipſo primæ fundationis tempore Benedictus VI. Pontifex ad Archi-Epiſcopos Germaniæ ſcribens Adelbertum Magd. Germaniæ Patriarcham appellarit teſte Davide Chytræo. t) An autem id factum ſit in concilio Ravennatenſi, uti tradit ſcriptor vitæ Norbertinæ, u) donec curatius de eo doceamur, in medio relinquimus. Nec eſt quod hic moremur Krantzium x) hujus tituli prærogativam in dubium vocantem, eo *quod nonnulli Archi-Epiſcopi in honore non cedant Magdeburgenſi:* nec item *Archi-Epiſcopi Electores illi cedant locum.* Nam quod ad trigam illam Archiepiſcoporum Electorum artinet, in excerpto Chronici vetuſti Magdeburgenſis, iidem nominatim excipiuntur, iisque Magdeburgenſis non præfertur, ſed exæquatur. Saliſburgenſis autem Atchiepiſcopi cum Magdeburgenſi controverſia (quam reſpicere videtur Krantzius) tantum abeſt, ut hujus Primatum tollat, ut potius olim aliter receptum fuiſſe demonſtret. Fuerunt itaque

novo

novo iſti Primati ſubjecti, duo minimum Archi-Epiſcopi, nempe Salisburgenſis & Bremenſis, quibus cum tempore Rigenſis & Pragenſis acceſſerunt. Quam eximia, quam inſigni liberalitate præterea proſecuti fuerint hunc Archi-Epiſcopum ejusque diœceſin Otto I. & II. Impp. ſat planum fecit BENJAMIN LEVBERVS y) eo labore, quo varia diplomata de hoc teſtantia ſingulari ſtudio collegit. Inprimis autem hic prædicari meretur Ottonis II. privilegium, quo collegio Canonicorum poteſtatem conceſſit propria autoritate eligendi Archi-Epiſcopum. Ejus rei teſtis eſt DITMARVS, z) cujus hæc ſunt verba: *Inſuper licentiam Archi-Epiſcopum eligendi confratribus, domino famulantibus Magdeburg, præcepto imperiali, præſenti Archi-Epiſcopo dedit Adelberto, & cum uno libro, qui hodie ibidem eſt, in quo ſua Imperatricisque Theophaniæ imago auro ſplendet formata, munus affirmavit. Quod gratia Cæſaris, & in præſentia ejus, Archi-Epiſcopus, præparatus ad miſſam, cum, prælecto Evangelio, more ſolito optime prædicaſſet, recitato coram præcepto imperiali, quo electio continebatur, oſtendit, eundemque quicunque temerarius hoc unquam auderet infringere, terribili excommunicatione damnavit, & cunctis proſequentibus amen, fiat, fiat, conſolidavit.* Anno DCCCCLXXIII. Adelbertus noſter juſta fecit Ottoni M. qui apoplexia correptus diem obiit Memlebiæ IV. Non. Maji. 973. *Sequenti vero nocte* (Ditmariana

riana verba denuo repetimus) a) *viſcera ejus ſoluta in Eccleſia S. Mariæ ſunt tumulata: corpus autem ejusdem aromatibus conditum ad Parthenopolim translatum ibique honorabiliter atque lacrymabiliter ſuſceptum, marmoreque impoſitum, ſarcophago ſepultum eſt ab Archi-Epiſcopis Gerone* (Colonienſi) *& Athelberto cæterorumque auxilio Epiſcoporum clerique totius*, b)

Hiſtoriam obitus Archiepiſcopi *Adelberti* prolixe exponit idem Ditmarus, addito ſingulari ſpecimine, quanta cum diligentia munere ſuo fuerit defunctus. Sed juvat ipſum audire hiſtoricum: c) *Adelbertus tertio decimo ſuæ ordinationis anno, ſuos docendo & confirmando ac Giſileri præſulis, qui tunc cum Cæſare fuit, diœceſin perluſtrans XIII. Kal. Julii in Merſeburg miſſam celebravit, proximamque noctem cum Hemuzone laico in Corbeti lætus duxit, craſtinaque die exſurgens triſtis, capitis nimium queritur dolorem, & tamen abibat. Cumque Cirmini villam ad Franckenleve pergere cupiens, præteriſſet, ni cito a ſuis ſuſtentaretur, ex equo paulatim declinans in terram cecidiſſet. Is vero tapete ſuperpoſito, completisque omnibus, quæ a clericis dicenda erant, fideliter migravit ad Chriſtum XII. Kal. Junii* (anni D CCCC LXXXI. ut tradit Lambertus Schaffnaburgenſis.) *Hujus corpus ad Gibikenſtein delatum atque ſacerdotali apparatu veſtitum, navigio ad Magdeburg usque deductum eſt, flebiliterque a confratri-*

bus

bus & maxime à monachis, ſuſceptum, commendatum eſt ab egregio ſanctæ Halberſtadenſis Eccleſiæ Epiſcopo Hilliwardo, favente ſibi Hardingo Abbate venerando, in medio eccleſiæ coram altari Apoſtolorum Philippi & Jacobi. Quanta ſollicitudine idem ſibi ſubditis invigilaret gregibus, lector attende. Sæpenumero ad ovile S. Johannis Baptiſtæ, ſanctique Mauritii noctis ſilentio venit, duobus tantum comitantibus, qualiterque confratres ad matutinam convenirent, vel, qui in dormitorio remanerent, ex improviſo perſpexit; & ſi bene fuit, Domino gratias egit: ſin autem culpabiles, digna caſtigatione redarguit. Epitaphium meruit ſequens: d)

Præſul Adelbertus virtutum laude refertus
Membra ſolo clauſus lætos agit æthere plauſus,
Clerus eum plangit, nec non populum dolor angit.
Ipſius hoc pietas meruit, fleat omnis ut ætas.

o) Vid. DITMARVS lib. II. p. 29. REGINO Prumienſis in Chronico ad an. 962. LANGIVS in Chron. Citizenſi p. 761. MEIBOMIVS in Chron. Bergenſi, p. 7. & 8.

p) in Hiſtoria Eccleſiaſtica, lib. II. cap. 7.

q) in Chronico Slavorum lib. I. cap. 11. jung. LANGII Chronicon Citizenſe pag. 758.

r) in Coſmodromio ætate VI. cap. 48. p. 204.

s) de Archi-Cancellariis, Cancellariis & Vice-Cancellariis S. R. Imperii lib. II. cap. 4. Conſentiunt in hoc collati Primatus tempore WERNER. in Chron. Magdeburg. ac vita Adelberti. DRESSERVS in Iſagoge hiſtorica, Millenario V. pag. 402. DIETERICVS in laud. diſſertatione, num. XIII. p. 144.

t) in Saxonia, lib. [illegible] 944.

t) in

u) Verba ejus repetit MALLINCROTIVS l. l.

x) in Metropoli lib. III. c. 28.

y) laud. tractatu num. 1609. & ſequ.

z) lib. III. pag. 46.

a) lib. II. pag. 43.

b) Add. *WITICHINDVS* Corbejenſis, p. 35. *HERMANNVS* Contractus. *MARIANVS* Scotus. *CONRADVS* a *LICHTENAV*, Abbas Urſpergenſis. *MARTINVS POLONVS* in Chronicis ad annum 973.

c) lib. III. pag 51. & ſq.

d) Habetur in Chronico Saxonico pag. 139.

§. 15.

Ex eo quidem clerus & populus unanimi conſenſu elegerunt Othricum, ſcholæ ut vocatur Magiſtrum, (nota eſt ſcholaſtici inter Canonicos dignitas) virum hac tempeſtate doctiſſimum. Sed quod Adelbertus, cum adhuc in vivis eſſet, aliquoties prædixerat, Othricum ad Archi-Epiſcopale faſtigium nunquam perventurum, eventus comprobavit. Etenim qui miſſi erant, ut confirmationem Cæſaris tunc in Italia commorantis peterent, quos inter & ipſe fuit Othricus, infauſto ſidere incidunt in Giſelarium, eique ſummam negotii ad Imperatorem, apud quem is plurimum valebat, deferendam committunt. Hic commodum tempus ratus, qui ſibi venaretur, prece & pretio eo rem deduxit, ut ipſe Archi-Epiſcopus deſignaretur. Othricus vero domum reverſurus morbo ex animi ægritudine contracto diem clauſit extremum Beneventi, ubi & ſepulchrum accepit. e)

e) Pluribus exponit DITMARVS lib. III. p. 52. Videatur etiam KRANTZIVS in Metropoli lib. III. cap. 37.

§. 16.

§. 16.

Fuerat antehàc GISILARIVS (Lamberto Schaffnaburgenſi, niſi is librarii error, audit Hiſilarius) Mersburgenſis Epiſcopus; ſed impellente eum magis magisque impotenti ambitione, ad majores honores animum appulit, quos demum etiam impetravit, inſigni licet fraudulentia, Cæſare circumvento, Romaniſque proceribus auro corruptis, ſicuti jam paucis tetigimus. Eluxit in hac cauſa Thiedrici Metenſis Epiſcopi Φιλαργυρία, quippe quem mille talentis auri atque argenti ad promovendum hoc negotium ineſcatum ex Ditmaro conſtat. f) Adminiſtrationem Archi-Epiſcopatus ſuſcepit ejusdem anni menſe Novembri. g) Tum vero actum fuit de Epiſcopatu Mersburgenſi, cujus potiorem partem ſibi vendicavit; reliqua, ne quam pateretur invidiam, (novum quippe tunc temporis erat unum Epiſcopum duabus præeſſe diœceſibus Epiſcopatibus:) h) inter vicinos Epiſcopos Fridericum Cizenſem & Volcoldum Miſnenſem diſpertitus eſt. Juriſdictionem vero eccleſiaſticam Hillibardo antiſtiti Halberſtadenſi commiſit. Atque ut ſupereſſet quidem Mersburgi qualecumque cultus divini veſtigium, ſed ſimul omnis poſtlimino inſtaurandi Epiſcopatus occaſio præcideretur, Collegium Monachorum ibidem inſtituit, cujus regimen commiſit Otrado monacho Bergenſi, eique paullo poſt demortuo ſuffecit Heimonem ejusdem ſodalitii monachum. i) Eodem anno DCCCCLXXXI. Ottone II. Imp. Eccleſiæ Magde- 981.

GISILARIVS.

Magdeburgenſi donavit cœnobium Poledanum (Palithi) k) una cum bonis nonnullis in Friſia. l)
982. Anno DCCCC LXXXII. Imperatore in Apulia & Calabria in Saracenis debellandis occupato, aliquot gentes Slavicæ conglomeratæ Brandenburgenſem & Havelbergenſem Epiſcopatus invadunt, & miſerum in modum devaſtant, quin & *utriusque loci Epiſcopum obtruncant.* m) His ita tumultuantibus etiam Miſtavus ſ. Miſtivojus (Miſtui dicitur Ditmaro) Obotritorum & Lutitiorum princeps arma capit, a Chriſto pariter & ab Imperatore deficit, ferro & igne vicina quæque depopulatur. Ad repellendos igitur atroces hos inſultus Giſilarius & aliquot Saxoniæ principes, ex decreto Imperatoris copias colligunt, ſigna movent, Brandenburgum recipiunt & Obotritos ingenti pugna vincunt, triginta millibus & ſeptingentis illorum in acie cæſis. n) Anno
983. DCCCC LXXXIII. Otto II. Imp. iterata liberalitate Magdeburgenſi eccleſiæ addidit *civitatem Corin nominatam in pago Dalaminza vocato, & in comitatu Richtagi comitis ſitam.* o) His fere temporibus, cum Miſeco Polonus & Bolizlaus Bojemus inter ſe diſcordarent: juſſu Theophaniæ Ottonis III. matris Miſeconi inter alios auxilio miſſus eſt Giſilarius noſter Archiepiſcopus. Quod vero imparem ſe virtuti auxiliarium ſentiret Boleslaus, pacem ſimulans impetravit, ut principes dimiſſo exercitu cum ipſo ad Miſeconem ablata repetituri proficiſcerentur. Magno per hanc perfidiam diſcrimini Giſilarius ſoci-

ci-

que ejus exponebantur: ex quo tamen fortuna comite emerſerunt. p) Anno DCCCCLXXXIX. lis, 989.
quæ Giſilario interceſſerat cum Bertheida, nobili quadam fœmina, de cœnobio Burchorſt in diœceſi Monaſterienſi, autoritate Ottonis III. Imp. eſt compoſita, certis additis conditionibus, quæ habentur in diplomate tranſactionis, a cl. Madero, horum talium feliciſſimo indagatore, in lucem dato. q) Circa hæc tempora Imperator Bernburgum, ob defenſionem terrarum vicinarum noviter munitum, fidei commiſit Giſileri noſtri, qui tamen in tuenda ea admodum adverſum habuit Martem. Etenim *fraude ignota* (ut totam hiſtoriæ ſeriem ipſius DITMARI verbis exprimamus) *ad placitum a Slavis vocatus cum parva multitudine exiit. Alii namque præceſſerunt, & quosdam in urbe reliquit. Ecce autem unus ex conſociis ejusdem erumpere a ſilva hoſtes prodidit. Congredientibus vero tunc ex utraque parte militibus, Archi-antiſtes, qui curru venit, equo fugit alato, ex ſuis mortem evadentibus paucis. Slavi victores præda interfectorum VI. Nonas Julii ſine periculo potiuntur, & Archi-Epiſcopum ſic elapſum eſſe conqueruntur, cuſtodivit tamen, quamvis ſic lugubriter mutilatus, urbem ad dictum diem Giſilerus, triſtisque reverſus obviam habuit patruum meimet Marchionem Luthariam, cujus curam civitas prædicta tunc reſpiciebat, firmiterque ei eam committens, abiit. Acceſſit autem comes, & ut urbem vidit incendio fumigantem, Archi-Epiſco-*

ſcopum remeare per internuntium fruſtra petiit. Ipſe autem ignem in duobus locis jam alte aſcendentem extinguere tentans, cum nihil omnino proficeret, portam hoſtibus patentem derelinquens domum mœſtus reviſit, & accuſatus poſtea apud Imperatorem, imputatam ſacramento purgavit culpam. Anno
997. DCCCCXCVII. Ottonis III. donatione *Burgwardium Belizi* eccleſiæ Magdeburgenſi acceſſit. r) Anno
1000. circiter milleſimo Otto III. Giſilarium, eo quod duas Epiſcopales in manibus haberet parochias, in Synodo Romana per decretoriam ſententiam ab officio ſuſpendi ac per internuncios Romam vocari juſſit. Huic vero paralyſi laboranti integrum haut erat comparere, & ita negotium protractum eſt, usque dum Giſilarius Imperatori in Saxoniam revertenti obviam factus in gratiam reciperetur, retento utroque Epiſcopatu. s) Non multo poſt iterum ab Imp. Henrico II. Archi-Epiſcopatu Magdeburgenſi ſe abdicare, & ad Merſburgenſem remeare juſſus eſt. Sed dum aliquot dierum mora ipſi adhuc indulgetur, moritur *in curte ſua Thriburi* anno
1003. cIↄ III. VIII. Kalendas Februarii, ut eſt apud Ditmarum. t) Mercenarium eum, non paſtorem fuiſſe conqueritur idem. u)

f) citato libro p. 55.

g) DITMARVS d. l.

h) KRANTZ. d l. *Scandalum peperit res illa ætate incomperta, ut duabus Eccleſiis unus eſſet Pontifex: hoc eſt, unus ſponſus duabus ſponſis.*

i) Vide

i) Vid. plene DITMARUS d. lib. III. p. 55. & 56. P. LANGIUS in Chronico Citizenſi, p. 767. MEIBOM. Chron. Berg. p. 6.

k) De hoc loco vid. SAGITTARIUS in Hiſtoria Eccardi I. Sect. XVI. §. 2. & 3.

l) Diploma hujus donationis habet MADERUS in Antiquitatibus Brunſuicenſibus, p. 115.

m) Hoc narrationi Ditmari ſuperaddit Henricus *BANGERTUS*, in notis ad Chronicon Slavorum Helmoldi, p. 39.

n) Vid. DITMARUS lib. III. p. 56. 57. KRANTZ. Saxoniæ lib. IV. cap. 19.

o) Diploma habetur in ſæpius cit. tractatu *LEUBERI*, num. 1616.

p) Vid. plene DITMARUS lib. IV. p. 69. & 70.

q) In appendice ad Antiquitates Brunſuicenſes, p. 199.

r) Diploma exhibet *LEUBERUS* d. Tract. num. 1620.

s) Vid. *DITMARUS* lib. IV. p. 83. 84. P. *LANGIUS* in Chron. Citizenſi, p. 768.

t) lib. V. p. 117.

u) lib. III. p. 54.

§. 17.

Ceterum ad Ottonis III. tempora neceſſum habemus reverti ob Udonem, quem circa ea Archi-Epiſcopatu Magdeburgenſi præfuiſſe referunt chronographi non pauci. Hunc fingunt cum Abbatiſſa quadam Ciſtercienſis ordinis in Valle liliorum libidinoſam aliquamdiu vixiſſe vitam, cumque nocte quadam cum illa conſueſceret, horrendam hanc intonuiſſe vocem:

Ceſſa de ludo, quia luſiſti ſatis Udo.

Sed neque ſic ad frugem reverſum poſtea in templo S. Mauritii noctu ad tribunal divinum accuſante

eum

eum turba ſanctorum, damnatum & ſupplicio capitali affectum eſſe. x) At putida eſt fabula, & non immerito proinde exploſa a Paullo Langio: y) Citizenſium annalium non imprudenti conditore.

Addit. *Quæ de Udonis fabula notanda ſunt, ad* §. 24. *retulimus, quem vide.*

x) Vid. Wernerus *ROLEVINCK* de Laer, in Faſciculo temporum, ætate VI, p. 70. Jo. *NAUCLERUS* in Chronographia, Vol. II. generatione 34. p. 685.

y) dicto loco, p. 769.

§. 18.

Comperta morte Giſilarii clerus Magdeburgenſis unanimi electione Archi-Epiſcopum deſignavit Waltherdum Præpoſitum. Hic tamen brevi poſt receſſit, ſic volente Cæſare, qui cum conſenſu Capituli ei ſuffecit DAGANUM (Ditmaro dictus Tagino) Cancellarium ſuum. *Confeſtim*, inquit Ditmarus, z) *in majorem convenientibus eccleſiam cunctis, Rex baculo Arnulphi Præſulis clerum & populum Tagmoni venerando patri cum redditura ſummo judici ratione commiſit, eundemque in cathedram epiſcopalem ipſe conſtituit, aſtantibus univerſis & laudes domino canentibus.* In deliciis hic quondam fuerat Wolfgango Ratisbonenſi Epiſcopo, adeo ut in extremis vitæ agens eum ſibi deſignaret ſucceſſorem. Acceſſit & electio cleri, nec defuit quam Imperatoris conſenſus, quo minus conſtitutus fuerit. a) Hic anno cIↃ V. rem inprimis promo-

DAGANUS.

1005.

vente

vente Henrico II. Imp. Epiſcopatum Merſburgenſem a Giſilero miſere deſtructum reſtauravit, Miſnenſi & Cizenſi Epiſcopis mandans, ut quæ ex illegitima diviſione & temeraria Giſileri donatione poſſiderent, reſtituerent, quin & ipſe regali munificentia plurima adjecit & privilegiis communivit. b) Eam ob cauſam noſter a Ditmaro c) ſummis celebratur laudibus:

Vivat in ætherea,(inquit) *Tagmonis ſpiritus aula,*
Waltherd & Gero valeant in fine beato;
A Chriſto ſalvi ſint omnes; atque locandi
Sedibus Elyſiis, te, Merſburg, qui pietatis
Affectu dextris exaltavere benignis.

Hoc anno ſynodo Tremonienſi (**Dortmund**) interfuit, ubi inter alia ſtatutum fuit, *ut poſt obitum cujuslibet principis vel Epiſcopi quilibet Epiſcopus ſuperſtes ibidem per XXX. dies miſſam pro defunctis diceret vel per ſe vel per alium, & CCC paſceret pauperes, & totidem denarios pauperibus aliis erogaret, totidemq; lumina accenderet.* Item: *ut corpus Dominicum ad ſiniſtram, calix ad dextram ſacerdotis poneretur in miſſa.* d) Eod. a. clↄ V. Ridagum Abbatem Bergenſem depoſuit, eique Alſkerum quendam cœnobio Poledenſi evocatum ſubſtituit. e) Anno clↄ VI. Henricus rex & propter ani- 1006.
mæ, ut hujus temporis ferebat ſuperſtitio, ſalutem & propter merita Dagani eccleſiæ Magdeburgenſi dedicavit civitatem Arneburg: f) annoq; ſequenti Eſicone ultimo comite Merſburgenſi extincto caſtrum Gibichen-

ſtein. g) Forte & ab eodem oppida Froſa & Prætin, quæ hujus Archi-Epiſcopi temporibus eidem eccleſiæ acceſſiſſe Ditmarus ſcribit, h) Magdeburgenſi diœceſi unita ſunt. Idem ille Henricus circa hæc tempora S. Mauritii reliquias ex Bergenſi cœnobio ſumma hieme nudis pedibus in templum Cathedrale transtuliſſe, feſtum nundinasque Mauritianas inſtituiſſe memoratur. i) Harum tamen autorem alii faciunt Albertum Archi-Epiſcopum k) quem loco ſuo videbimus.

1012. Annus cIↄ XII. Archi-Epiſcopo noſtro fatalis fuit, terræ mandatus in baſilica Magdeburgenſi. Prædicat illum ſtudio mirifico Ditmarus, l) cum quo magnus ipſi interceſſerat uſus, uti notat REINERVS REINECCIVS. m) Juvat quædam hujus præconis afferre: *Erat hic juſtus, timoratus, ac miræ charitatis, largus & fidelis, caſtus ac mitis, prudens & ſtabilis, canonicus habitu, ſed monachus in omni converſatione ſua, vitia in cunctis ob meliorationem aſpere carpebat, bona quæque laudans. Non fuit apud modernos ullus paſtor, qui confratribus ſuis familiarior eſſet: hos amavit, atque coram populis laudavit. In primo ordinationis ſuæ anno templum Domino ædificare cœpit. Presbyteris & diaconis veſtitum ſuimet IIX. ſiclis, Subdiaconis autem & inferioribus IV adauxit. Niſi infirmitas obſiſteret, omni die miſſam & pſalterium cantavit; & quia jejunare ob laſſitudinem non potuit, eleemoſynarum multitudine redemit. In vigiliis ſupra modum laboravit, & quia parum manducare ob infirmitatem dentium potuit, potu quamvis mediocri facile ſatiatur. Nobiles*

biles moribus & genere amavit, ignobiles autem non contemſit, ſed in ſua familiaritate habuit. Cultores Chriſti dilexit, contemtores autem ejus juſte proſequitur odio. Omnia ſibi divina commiſſa excoluit, & lucrari contendit. Antequam divinum perageret myſterium, ſeverus fuit, & poſt omnibus hilaris arriſit, & perſæpe cum ſuis Kyrie eleiſon cantavit.

z) lib. V. p. 119.

a) DITMARUS lib. V. p. 119. 120.

b) P. LANGIUS in Chron. Citizenſi, p. 769.

c) in carmine, quod in laudem horum inſtauratorum conſcriptum annexuit libro Vto, p. 121. Add. lib. VI. p. 123.

d) THEODORICUS ENGELHUSIUS in vitis Imperatorum ex Ducum Brunſuicenſium domo oriundorum, ſub vita Henrici. Habetur hoc ſcriptum in Antiquitatibus Brunſuicenſibus MADERI.

e) MEIBOMIUS in Chron. Bergenſi p. 11.

f) Diploma vid. in laud. tract. LEUBERI, num. 1621.

g) Vid. D. GOTFRIDUS OLEARIUS in Halygraphia Topo-Chronologica, parte III. p. 135.

h) lib. VI. p. 161.

i) V. BAKIUS in præfatione partis II. Expoſitionis Evangel. in vita hujus Archi-Epiſcopi.

k) Chronicon Saxonicum POMARIO-DRESSERIANUM, in vita ALBERTI.

l) lib. VI. p. 160.

m) in Expoſitione de Ditmari vita, quam Ditmaro ſubjunxit MADERUS.

§. 19.

WALTHERDUS.

Sic igitur poſtliminio quaſi Archi-Epiſcopatum indeptus eſt WALTHERDUS per octo & viginti annos præpoſitus, pridem electus, ſed tunc a rege neglectus, hac vice comprobatus. n) Falluntur ergo

 Cen-

Centuriatores Magdeburgenſes, o) qui eum ab Imperatore denuo rejectum eccleſiæ Mersburgenſi præfectum eſſe aſſerunt. Patrem habuit ERP, virum, Ditmaro teſte, integrum vitæ, omnibusque charum; matrem Amulredam, piam caſtamque matronam. p) Hic ſarcophagum ingentem, aſſervandis ſanctorum reliquiis, ex argento conficiendum curavit. q) Si Ditmaro fidendum, in ſomno quondam ipſi revelatum fuerat, ſe Archi-Epiſcopale dignitate quidem potiturum, verum ea felicitate non uſurum diu. Nec defuit eventus. Nam elapſis IIX. hebdomatibus, vitam cum morte commutavit in caſtro Gibichenſtein, inque Bergenſi monaſterio tumulatus eſt. r) In laudibus ejus recenſendis multus eſt Ditmarus, & digna quædam videntur, quæ adſcribamus: *Epitaphium autem*, inquit, s) *Archi-Antiſtitis non lapide aliquo, ſed memori corde inſcribendum, lector exaudi. Waltherdus, quamvis interpretetur poteſtate durus, ſeverus in aperto, mitiſſimus fuit in occulto. In timore continuo & amore juſto Dominum agnovit & proximnm. Fragilitatem carneis fletus amaritudine crebri, & eleemoſynarum largitate ineffabili reſolvit. Utraque hac pollens virtute, regi acceptus, cunctiſque primatibus admodum extitit honorandus, quem ſenior ſuimet benedictione, & ſolo nomine præcellebat; verus & compatiens ac Eccleſiæ ſuimet fortis propugnator erat. Sine omni jactantia convicinis plurima impendit; ille ſolus ſibi ſuffeciſſe cunctis innotuit. Audivi eundem multum jurare, quod non ob ambitionem, ſed laborantis Eccleſiæ*

&

& pene deficientis utilitatem, hunc expeteret honorem. Ad hoc ſe dixit immeritum, & ibi duos eſſe confratres, quos libenter eligeret, ſi hoc ullo modo fieri poſſe ſperaret.

n) DITMARUS lib. VI. p. 161. & ſequ.

o) Hiſtotiæ eccleſiaſticæ Centuria XI. cap. 10.

p) DITMARUS d. l. qui addit: *& opera herili inter alias lucebat matronas.*

q) *DITMARUS* d. lib. p. 167.

r) *DITMARUS* ibidem.

s) lib. VI. p. 165. & ſequ.

§. 20.

Waltherdo a collegio ſucceſſor datus eſt Theodoricus, Ditmari Merſburgenſis Epiſcopi cognatus: t) ab Henrico vero II. Imp. qui electionem ſibi hac vice permitti volebat, ſalvo tamen jure Capituli, fortunam cum GERONE capellano ſuo permutare juſſus, ille in capellanum Cæſaris, Gero in Archi-Epiſcopum cooptatus eſt. u) Poſt peracta inaugurationis ſolennia Thebæorum martyrum memoria a rege Magdeburgi celebratur, & poſt hæc ab Archi-Epiſcopo magnificis muneribus idem cum omnibus ſuis honoratur, x) quæ ipſa Ditmari verba ſunt. An. cIↃ XIII. Unvvanum, quem repudiato Ottone Henricus Imp. Archi-Epiſcopum Bremenſem renunciaverat, præſente Henrico per ſolennem conſecrationem confirmavit. y) Poſt illa ſuppetias tulit Cæſari, cum Bolislao Polono bellum gerenti, ſed infelici admodum ſucceſſu. Etenim aliquando ab hoſtibus in ſylva proxima latentibus oppreſſus tanta eſt affectus clade, ut CC. militibus & non-

GERO. 1013.

1051. ſiæ præſulem ordinavit. m) Abiit e vita anno clↄ LI. n) Krantzius eum vocat virum Deo devotum, & autorem Collegiornm Nicolai & Petri, o) cui adſtipulatur Chronicon Saxonicum.

h) P. LANGIVS p. 771.

i) Diploma vid. in laud. tract. LEVBERI num. 1622.

k) Vid. Fragmentum de inſtitutione Hersveldenſis eccleſiæ, in Antiquitatibus Brunſuicenſibus MADERI, p. 157.

l) Vid. Chronicon Saxonicum in vita hujus Archi-Epiſcopi.

m) P. LANGIVS p. 773.

n) LAMBERTVS SCHAFFNABVRGENSIS, ad hunc annum.

o) in Metropoli lib. IV. c. 28.

§. 22.

ENGELHARDVS. Hunfrido ſurrogavit Henricus III. Imp. ENGELHARDVM e monaſterio Würtzburgenſi accerſitum. Hic primo Epiſcopatus ſui anno interfuit ſynodo generali, quæ habebatur Moguntiæ, ubi inter alia *neſanda* (ecce temporum infelicitatem!) quoque *ſacerdotum conjugia holographa ſynodi manu perpetuo damnata ſunt:* quæ ipſa ſunt verba Adami Bremenſis: p)
1059. Anno clↄ LIX. Halberſtadium profectus eſt conſolaturus Epiſcopum iſtius diœceſios Burchardum, qui a Meginhero Hirsfeldenſi abbate propter denegatam juſtitiam ad tribunal Dei citatus, ad deſperationem plane redactus erat. Digna certe eſt hiſtoria, que plenius cognoſcatur ex Lamberto Schaffnaburgenſi q) & Sagittarii hiſtoria Halberſtadienſi. r) Primus hic eſt Archi-Epiſcoporum, qui vitam finiit in urbe

urbe Magdeburgo, ut notat Pomarius, itque factum anno cIↄ LXIII. s) Tam impenſe ipſi favit Henricus IV. 1063.
Imp. ut ejus gratia Archi-Epiſcopatum XIII. pagis aliisque bonis donaret. t)

p) lib. III. cap. 31. Eum exſcripſit ALBERTVS STADENSIS ad a. 1551.

q) ad annum 1059.

r) in vita illius Burchardi.

s) HERMANNVS CONTRACTVS ad hunc annum.

t) Vid. Chronicon Saxonicum & BACKIVS in vita ejus.

§. 23.

Poſt Engelhardi obitum Cathedram Archi-Epiſcopalem conſcendit WERNERVS, comes de Sonnenburg, a quo non alius eſt, quem Auctor Apologiæ pro Henrico IV. Imp. u) Wetzelinum, Bertholdus Conſtantienſis x) Wetzel dixerunt, teſte Meibomio. y) Promotorem habuit Annonem Colonienſem Archi-Epiſcopum germanum fratrem, qui quod communem cum Bremenſi Archi-Epiſcopo educationis Henricianæ gereret curam, plurima imperii negotia temperebat. z) Anno cIↄ LXIX Carolus Magdeburgenſis Canonicus a Conſtantienſibus in Epiſcopum electus eſt. Brevi tamen poſt, quod pro lubitu omnia gereret, a clero coram Papa accuſatus & ab Epiſcopatu dejectus, Magdeburgum reverti neceſſum habuit, ubi an. cIↄ LXXIII extinctus eſt. a) Erant tunc temporis magni in imperio Germanico motus ad clavum ſedente Henrico IV. qui poſt ſemotam matrem negligenter educatus in juventute aliquanto

WERNERVS.

1069.

1073.

inſolentius remp. adminiſtrabat. Accedebat ferale adverſus Henricianam ſtirpem odium, in ferocibus ac bellicoſis Saxonum pectoribus profunde latens, quod ex ſtrictiori Henrici III. imperio ortum variis ex cauſis ſumebat incrementa, tantemque in nervum erumpebat. Et tunc quidem inter primos, qui jugulum Imperatoris petebant, ſacer noſter Wernerus fuit, id quod ex ſequentibus patebit. Scilicet anno cIↃ LXXIII, cum ſuſpicio de Saxonum libertate opprimenda ex Henrici cum rege Daniæ colloquio augeretur, b) omnes fere Saxones Nockmeslovi pro libertate patriæ tuenda conſpirarunt. Quantum hic laboraverit Wernerus in acrius inflammandis ſatis ſua ſponte flagrantium animis, docet BRVNO monachus in hiſtoria belli Saxonici. *Ergo*, inquit, *Werenherus Magdedurgenſis Archi-Epiſcopus civitatem ſuam bis a rege cædibus & prædationibus invaſam dicebat; & præterea communes injurias ſe non minus dolere, quam ſuas, aſſerebat, & eis, quaſi ſolus omnes fuiſſet paſſus, obviaturum ſe promittebat.* c) Dein Harzburgum cum cæteris Saxoniæ principibus perrexit, oppreſſurus regem, qui eo ſe receperat. Verum hic Saxonum cuſtodias eludens cum paucis ſuorum per avia auffugit d) Ante vero, quam ulterius progrediamur, prodigium, quod
1074 anno cIↃ LXXIV. Magdeburgi in campo quem vocant Martium obſervatum fuit, annotare lubet verbis Brunonis: *In Magdeburgenſi prato vidimus corvos tam acriter inter ſe pugnantes, ut alii alios jacere dimitterent exanimes.* e) Sed & idem vinum in ſanguinem

nem converſum memorat hunc in modum: *Quidam presbyter, in epiſcopatu Magdeburgenſi in villa Weddinge, in neutra parte converſationis egregius, qui nec vitiorum labe, nec virtutum laude clareret; eximius, dum in ſacramentorum confectione veniſſet ad communionem, calice levato, vidit vinum non ſolum ſpiritualiter, ſed viſibiliter in ſanguinem converſum; cujus rubore pariter & denſitate perterritus, nihil inde ſumere præſumſit, ſed in Magdeburg civitatem ubi adhuc venerabiliter ſervatur, cum magno timore portavit.* Subjungit autor: *Quæ omnia, quid ſignificaſſe putemus, niſi laborem quem poſt experti ſumus?* Parabat anno ↀ LXXV. Henricus expeditionem in 1075. Saxones denuo rebelles; prius tamen quam ſuſciperet, ad illorum principes Goſlariæ congregatos miſit legatos, qui gratiam ſuam ipſis offerrent, modo conditiones propoſitas amplecterentur: quo facto plures eorum ad imperatoris partes tranſiere. f) Quod vero id Wernerus facere recuſaret, ferunt Imp. Henricum inſidias ſtruxiſſe vitæ ipſius. Nempe per monachum quendam pulverem ei pigmentarium dono miſiſſe volunt, ac contra varios morbos ſibi ex Italia a matre dedicatum. Hujus partem quando cruſtæ panis inſertam catulo dari præceperit Archi-Epiſcopus, eundem repente exanimatum. Habet illa Bruno, ſed nimium quantum infeſtus regi, ut ſuſpicio ſit & hæc & plura alia confinxiſſe hominem. Eodem anno, cum Saxones jam quartum contrà Imperatorem inſurgerent, in tantas ab eodem ſunt redacti anguſtias, ut

ſumma neceſſitate flexi regis clementiæ ſeſe dedere cogerentur, *& nominatim quidem Wernerus Magdeburgenſis Archi-Epiſcopus, Bucco Halberſtadienſis,* & alii plures, *quos rex principibus ſuis ſingulis ſingulos donec de eis communi conſilio deliberaretur, ſervandos commiſit.* g) Cum vero ſucceſſu temporis plerique ſive dolo ſive perfidia eorum, quorum cuſtodiæ commiſſi erant, ſeſe poteſtati imperatoris ſubtraxiſſent: imperator prudenti conſilio cæteros & in his quoque Wernerum noſtrum ſpontanea & gratuita liberatione
1076. devincire ſtuduit, anno cIↃ LXXVI. Verum hi neceſſitati magis, quam benevolentiæ regis liberalitatem illam imputantes, ſtatim ſe cæteris bellum jam parantibus junxere, ac in ditionibus Henrici ferro & igne graſſati ſunt, non ſine perjurii nota, cujus etiam divinum Numen tandem pœnam repetiit graviſſimam.
1078. Anno quippe cIↃ LXXIIX, II. Idus Auguſti, in prælio, quod juxta Melrichſtadt cum Rudolpho Anti-Cæſare committebat Henricus, noſter primus fugam capeſſens occiſus, aut ut quidam voluit, ſuſpenſus eſt. h)

Addit. *Monet cl. autor ſuſpicionem eſſe, quod BRUNO multa confinxerit in odium Henrici cæſaris. Verum non opus eſt ſuſpicione, cum manifeſto appareat odium hujus ſcriptoris, ſi Henrici hiſtoria recte ponderetur.*

w) Hunc Venericum Vercellenſem alii, Waltramum Numburgenſem alii exiſtimant. Habetur in tomo uno Scriptorum rerum Germanicarum MARQVARDI FREHERI.

x) in Continuatione HERMANNI CONTRACTI.

y) in

y) in notis ad *HERMANNI de LERBEK* Chronicon Comitum Schavvenburgenſium, p. 48.

z) *ADAMVS BREMENSIS* lib. III. cap. 36. & 37.

a) Vid. *LAMBERTVS SCHAFFNABVRGENSIS* ad an. 1069. & 1071.

b) Hæc præcipua erat cauſa. Plures recenſent horum temporum ſcriptores, & ex junioribus *CHRISTOPHORVS LEHMANNVS* chronici Spirenſis lib. V. cap. 27.

c) Jung. *LAMBERTVS SCHAFFNABVRGENSIS* ad an. 1073. p. 192.

d) Vid. *LAMBERTVS SCHAFFNABVRGENSIS* p. 195. *BRVNO*, p. 109.

e) Add. Chronicon Saxonicum in vita hujus Archi-Epiſcopi.

f) Vid. *LAMBERTVS SCHAFFNABVRGENSIS* ad annum 1075. *LEHMANNVS* in Chronico Spirenſi, lib V. cap. 29.

g) *LAMB. SCHAFFNABVRGENSIS* p. 228. *HELMOLDVS* in Chronico Slavorum lib. I. cap. 27.

h) *LAMBERTVS SCHAFFNABVRGENSIS* ad a. 1076. *BRVNO* ſupra citatus ad a. 1078. Et ad eundem annum autor Apologiæ Henrici IV. *BERTOLDVS CONSTANTIENSIS* in appendice ad Hermannum Contractum, *CONRADVS VRSPERGENSIS*, *ALBERTVS STADENSIS*.

§. 24.

Subſtituit in locum ejus Rudolphus rex HARDVICVM, Moguntini præſulis Archi-Capellanum, quemadmodum vocatur a Brunone i) qui ſui promotoris partes ſummo conatu tutatus eſt. Hunc Centuriatores Magdeburgenſes nobilem Francum, Gabriel Bucelinus k) generoſa Baronum apud ſaxones familia natum ſcribunt. Anno cIↃ LXXXV Quedlinburgenſi ſynodo contra Henricum a Pontifice indictæ interfuit, ubi in imperatoris fideles *ſententia inevitabilis anathematis cum ardentibus candelis promulgata eſt*, ut loquitur BERTOLDVS Conſtantienſis. Contra vero Henricus tribus hebdoma- *HARDVICVS.* 1085.

tibus poſt Moguntiæ ſynodum Epiſcoporum congregavit, in qua Harduicus noſter & alii XIV Germaniæ Epiſcopi, qui a partibus ſtabant Gregorii VII Pont. *ſæpe antea admoniti, nunc autem regulariter vocati, quia noluerunt ad pacem Chriſti & Eccleſiæ reverti, ex autoritate ſedis Apoſtolicæ ſunt dejecti atque damnati, utpote qui Dei ordinationi reſiſtebant, dum deſtruere nitebantur regnum Henrichi regis a Deo ſibi collatum, reſiſtendo ei atque repugnando usque ad effuſionem ſanguinis multorum hominum:* quæ ſunt verba AVCTORIS Apologiæ Henrici IV. Imp. l) Peculiare Harduici delictum notat idem autor, quod denuo ipſius verbis enarrabimus: *Hildebrandus*, inquit, m) *Papa Colonienſem Eccleſiam ſuis quoque privilegiis ſpoliavit, qui Hartvigo Magdeburgenſis Eccleſiæ Epiſcopo hoc conceſſit, & hoc juſſit, ut terminos patrum transgrediendo invaderet parochiam alterius Metropolitani Epiſcopi, & ordinaret Epiſcopum quendam Reginhardum in Mindenſi Eccleſia, ad contemtum & injuriam Sigiwini Colonienſis Archi-Epiſcopi.* Dejecto ita Harduico imperator Henricus accedente cleri & populi conſenſu Archi-Epiſcopatui præfecit alium HARDVICVM Abbatem Hirsfeldenſem, quem III
1085. id. Jul. a. cIↃ LXXXV. *ordinavit Diedo ſuffraganeus ejus*, ipſo imperatore, Wetzelino Moguntino, Sigvvino Colonienſi & aliis pluribus Epiſcopis præſentibus. n) Vir fuit, teſte laudato Apologiæ autore, tam moralibus diſciplinis quam ſcriptura ſacra apprime inſtructus & eruditus. Pacis ſe præbuit ſtudioſiſſimum & aſſi-

aſſiduum mediatorem inter Saxones Hildebrandinos & imperatorem ejusque fideles, ut teſtatur ABBAS SCHWARZAHENSIS in Chronico ſuo. o) Memorat GOLDASTUS p) alicubi extare ejus *Propoſitiones de pace inter utramque partem facienda;* quas tamen dum ſollicitaverit, fruſtra ſe fuiſſe queritur. Interea prior ille Harduicus in oppugnando & opprimendo Henrico ſtrenue perrexit. Anno cIↃ LXXXVI. prælio, quod prope Herbipolim cum pontificiis committebat Henricus, ipſe interfuit, & præ aliis magnum pietatis ſenſum præ ſe tulit. Narrationem BERTOLDI Conſtantienſis, qui omnia ſuis oculis ſe uſurpaſſe teſtatur, quia & alia obſervatu digna continet, integram adſcribemus: *His temporibus fideles S. Petri principes Suevorum, cum Saxonibus & Bojoariis generale colloquium, poſt feſtum Apoſtolorum prope Wirzeburg condixerunt, quod Henricus congregata multitudine ſchiſmaticorum interturbare voluit. Sed Suevis ſupervenientibus reſiſtere non valens, ad tempus eis locum dedit. Ipſi autem Herbipolim ad obſidendos fautores Henrici proceſſerunt, & adjunctis Saxonibus eandem ſepi circumdederunt. Interim Heinricus exercitum viginti pene millium, pedites & equites congregavit, & ad civitatem liberandam jam quinque ſeptimanis obſeſſam, aciem direxerunt. Quo audito fideles S. Petri ſoluta obſidione obviam ei duobus miliaribus, non tam multitudine ſua, quam miſericordia Dei & juſtitia S. Petri, non tam armis, quam virtute S. crucis confiſi, proceſſerunt. Unde & crucem altiſſimam in quodam*

dam plauſtro erectam & rubro vexillo decoratam usq; ad locum certaminis ſecum deduci fecerunt. Welph quoque dux cum ſua legione & Magdeburgenſis relictis equis pedites incedebant. Cum autem jamjam congreſſuri eſſent, omnes in terram proſtrati cœlum oratione penetraverunt, quam pro eis ibidem reverendiſſimus Magdeburgenſis Archi-Epiſcopus cum multis lacrimis & gemitibus effudit. Igitur in nomine Domini congreſſi incredibilem hoſtium ſtragem fecerunt, ita ut novem nimium altæ congeries cadaverum ibi viderentur, præter illos, qui campos & ſylvas fugitantes occubuerunt. Cum vero tandem deprehenderet, hoc modo ſe amiſſam diœceſin non recepturum, alia rem aggreſſus eſt via. Nimirum imperatorem adiit, eidemque ſupplex factus veniam delictorum impetravit. Quin & fidem dedit, ſe, ſi priſtinæ reſtitueretur dignitati, eo allaboraturum, ut omnes principes, quos adverſarios adhuc haberet imperator, ipſi reconciliarentur. Rex accepto ab eodem de promiſſis ſervandis juramento, Archi-Epiſcopatum reddidit, id
1089. quod factum eſt anno circiter cIↃLXXXIX. Harduicus autem auſu ſatis impio non ſolum non ſervavit promiſſa, ſed inſuper quoque ex reliquis imperatori fidelibus, quotquot potuit, in ſuas pertraxit partes, bellumque adverſus illum renovavit. *Specialiter* (verba iterum ſunt AVTORIS Apologiæ Henrici q) *ipſe præ cæteris Saxonibus odio habebat locum Hersfeldiæ, ideoque civitatem & ſancta noſtra quærebat omnibus modis deſtruere. Nam Abbas ejusdem loci*

&

& depoſito in Epiſcopatum Magdeburgenſis Eccleſiæ. Anno cIↄXCII r) a Wiperto Marchione Luſatiæ 1092.
Pegaviam, ubi hic cœnobium fundare in animo habebat, evocatus eſt, *ut fundamentum & cœmeteria ſolenni ritu conſecraret; eandemque ſtructuram* anno cIↄXCVI dedicavit. s) Ab anno cIↄXCVI usque 1096.
ad annum cIↄ XCIIX curam egit monaſterii Bergenſis, quod per illam tempeſtatem abbate caruit. t)
Anno denique cIↄCII ſeditioſam animam exhalavit, u) 1102.
AVTOR Apologiæ Henrici IV. vocat illum *ſtultum paſtorem, nullius fere literatoriæ eruditionis & ſcientiæ*, putatque in eundem optime quadrare illa Prophetæ: *Numquid iſte eſt vir, qui conturbavit terram? qui concuſſit regna, qui poſuit orbem deſertum & urbes ejus deſtruxit? Tu enim terram tuam diſperdidiſti, tu populum tuum occidiſti.*

Addit. *Fabulam de Udone a Mauritio capite plexo, ad tempora Giſilarii AE. referunt quidam, alii ad Harduicum. Uterque ſubita morte extinctus eſt. Sed de Harduico, qui & Udo dictus eſt, narrat AVTOR Chron. Magdeb. apud Meibom. T. II. rerum Germ. 320. fuiſſe ſomnium monachi cujusdam, qui hac occaſione taxat avaritiam & injuſtitiam Epiſcoporum quorundam, qui ſuo munere peſſime fungebantur. Hoc modo in utrumque quadrat illud ſomnium; malim tamen ad Harduicum referri, propter auctoritatem dicti Chronici. De reliquo utrum revera fuerit ſomnium, an*

ſictio, in medio relinquo. Viſa enim fingere inter Pontificios eſt frequentiſſimum. Ipſam vero fabulam confutarunt Sagittarius, & Vulpius in libro: Magnificentia *Parthenop. p.* 177.

h) in Hiſtoria belli Saxonici.

k) in Germania ſacra.

l) p. 198. 199. Add. Chronicon Spirenſe *LEHMANNI* lib. V. cap. 35.

m) p. 202. Add. p. 204.

n) Vid. Autor Apologiæ Henrici R. p. 209.

o) Allegat hunc *MELCH. GOLDASTUS* in Diſſertatione de Autoribus, quam præfixit volumini Scriptorum Apologeticorum pro Henrico IV. Imp.

p) in allegata diſſertatione p. 41.

q) p. 208. quæ repetit *WALTRAMVS* Numburgenſis Epiſcopus, lib. II. Apologiæ pro Henrico IV, cap. 28. Habetur hoc ſcriptum in volumine *GOLDASTI*, cui titulus: Apologiæ Reverendiſſimorum & Illuſtriſſimorum Imperii Principum pro Henrico IV.

r) *SUFFRIDVS* Presbyter Misnenſis refert ad annum 1091.

s) Vid. *CHRONICON BIGAVGIENSE*, quod Chronico montis Sereni annexuit MADERVS, ad annos 1092. & 1096.

t) *MEIBOMIVS* in Chronico Bergenſi.

u) *DODECHINVS* in Appendice ad Marianum Scotum, & *CONRADVS URSPERGENSIS* ad hunc annum.

§. 25.

HENRICVS. 1084. Nunc ad HENRICVM comitem de Aslo x) nos convertimus. Hunc jam tum anno cIↃLXXXIV Hermannus Luzelburgicus Anti-Cæſar, conſentientibus Canonicorum pluribus eccleſiæ præfecit Paderbornenſi. At Henricus Imp. ut nullum non æmuli ſubverteret factum, alium ejusdem nominis comitem de Werle, parte altera Canonicorum conſentiente eccle-

eccleſiæ præeſſe voluit. Et vero ſuccubuit tandem Henricus de Aslo, Hermanno rege, cujus autoritate conſtitutus fuerat, oppreſſo. y) Hinc igitur Magdeburgum in patrocinium Harduici ſe recepit, illoque defuncto, a clero, cujus favorem ſibi conciliaverat, in ejus locum electus eſt. z) Prius tamen plenam Archi-Epiſcopatus poſſeſſioem adire non potuit, quam Henricus IV. cujus conſenſum non requiſiverant Magdeburgenſes, ſceptrum deponere compulſus fuerat. Tunc enim *Ruthardus Archi-Epiſcopus Moguntinus* (verba ſunt GOTFRIDI VITERBIENSIS) a) *qui a ſede ſua diu per patrem Imperatorem expulſus filio ejus Henrico V. adhæſit, Henricum Magdeburgenſem electum ſed ab Imperatore reprobatum conſecravit.* Rejicit illud in annum cIↄcV OTTO 1105.
FRISINGENSIS b) unde falſum credimus eſſe JOHANNEM AVENTINUM. c) qui demum poſt expeditionem Tridentinam, de qua paullo inferius, hoc factum eſſe aſſerit. Anno cIↄCVI ex con- 1106.
ventu Moguntino, quo omnes Henrici V. aſſeclæ confluxerant, cum aliis viris principibus Romam ad Paſchalem Papam miſſus eſt. Cauſam legationis Conradus Urſpergenſis his verbis includit: *Viri*, inquit, *qui de objectis rite rationem reddere & de incertis ſagaciter inveſtigare ac per omnia utilitatibus Eccleſiaſticis ſapienter conſulere ſint idonei*, & paullo poſt: *idque inter cætera ſuſcipiunt in mandatis, ut Domini Apoſtolici præſentiam Cis-Alpinis partibus impetrent exhiberi.* Hi omnes, exeepto uno, Gebhardo ſcilicet

H 2 Con-

Conſtantienſi Epiſcopo, dum Tridenti divertunt, ab Alberto præſide capiuntur & in vincula conjiciuntur. Brevi tamen poſt aliqui eorum certis conditionibus ab ipſo Alberto dimiſſi; reliqui a Welphone Bojorum regulo armata manu liberati ſunt. d) Præfuit Archi-Epiſcopus IV annis & IIX menſibus: mor-
1107. tuus enim eſt anno cIↃCVII. e) ſecunda feriarum Paſchatos, ipſo Palmarum die, quo ægrotare cœpit, & poſtmodum quoque in feſto Viridium ſive cœnæ Domini adhuc miſſam celebravit, corpore licet maxime infirmo. Imo & quibusdam pauperibus pedes lavit in lecto decumbens, liberaliter diſtribuens illis eleemoſynas, uti ex Chronico Magdeburgenſi MS. referunt Centuriatores Magdeburgenſes. f)

x) Hujus Comitatum in inferiori Saxonia ſitum fuiſſe certum eſt, ubi vero & quo in loco incertum, ut fatetur HERM. HAMELMANNVS, lib. II. de familiis emortuis.

y) GOBELINVS PERSONA in Cosmodronio, ætate VI. c. 55. p. 217. KRANTZIVS Metropolis lib. V. c. 23. & 27. *Centur. Magdeburg.* XI. c. 10. p. 323. in vita ejus.

z) GOBELINVS d. l. p. 218. Add. Chronicon Saxonicum.

a) in Chronico univerſali, quod, quia Principium omnium hiſtoriam continet, atque hi in ſcripturis Dii appellantur, *Pantheon* appellavit, parte XVII. p. 498.

b) in Chronico, lib. VII. cap. 8.

c) in Annalibus Bojorum lib. V. p. 365.

d) Pluribus hac de re videri poſſunt CONR. VRSPERGENSIS in Chronico, p. 247. AVENTINVS in Annalibus Bojorum lib V. p. 365. BARONIVS in Annalibus Eccleſiaſticis ad an. 1105.

e) ALBERTVS STADENSIS ad hunc annum.

f) Centuria XI. cap. 10. num. 23.

§. 26.

§. 26.

ADELGOTVS Henrici ſucceſſor, a Dodechino *Adelgas*, a Conrado Urſpergenſi *Adelgoz* nuncupatus, ex Canonico Halberſtadenſi per Heinricum V. Imp. Archi-Epiſcopus creatus eſt. Chronicon Saxonicum eum ſalutat comitem de Loje ſive Leige: ſed fortean minus recte. Licet enim ſi altius genealogiam ejus repetas, aviam habuerit comitem de Leige, a patre tamen potius, qui fuit Wernerus comes de Velthem, denominandus veniet, ut docemur ex *Chronico Bigaugienſi*. g) Anno cIↃCXIII defuncto Hildeboldo abbati Bergenſi ſubſtituit Hugonem ex ſchola Hirſaugienſi accitum. h) Anno cIↃCXV ab Imperatore Henrico V. depoſitus eſt, eo quod Wiperto, marchioni de Groiz, qui cum aliis Saxoniæ principibus fœdus percuſſerat contra Imperatorem, ejusque militibus hyberna conceſſerat. De his ita Chronicon Bigaugienſe: *Miſit ergo nuncium* (Wipertus) *ad Adelgotum Archi-Epiſcopum Magdeburgenſem, avunculum ſuum, petens in aliquo ſuo municipio cum ſua conjuge & paucis militibus recipi ad biemandum, quem bruma non ſineret ſub divo latitare. Cui compatiens Epiſcopus, ipſum cum ſuis ultra Albiam, in urbe, quæ* Lübborch (Loburg) *dicitur, collocari fecit: cujus locis præfectus Priborn adhuc fere erat paganus, eo quod ultra Albiam illis temporibus. Audiens hæc Hinricus Cæſar, citavit Adelgotum Goslariæ ad curiam ſuam, cum quo Wicpertus miſit legatum ad reſciendum,*

ADELGOTVS.

1113.

1115.

endum, ſi quid ibidem de eo Archi-Epiſcopus doli neſcius aviſatur a quodam, quia non ſolum deponere ipſum, ſed & capere rex intenderet. Ideoque noctis tenebris clam celeriter aufugit, **Magdeborch** *cum ſuis pervenit. Cæſar mane factum audiens, graviter contemtum regiæ majeſtatis tulit. Querimonia de iis coram Principibus habita, quorum favore illius fovebatur audacia, Archi-Epiſcopus abſens deponitur, & ultio fieri de Saxonibus reipublicæ contemtoribus illico decernitur.* Venit igitur res ad arma; ſed Saxones e prœlio, quod in campis **Welpsholt** dictis conſerebatur, ſuperiores diſceſſerunt. i)

1116. Sequenti anno clↄ CXVI. Adelgotus cum Reinhardo Halberſtadienſi Epiſcopo, & Friderico Saxoniæ Palatino, Wicperto etiam & Ludovico, Naumburgum obſidione vallavit brevique cepit. Pro ea recuperanda Imperator cuſtodia relaxare coactus eſt Wicpertum ſeniorem, Ludevvicum & Burchardum de Miſna. k) Eodem anno noſter Hallis monaſterium extruxit magnificum, quod vocavit *ad novum opus.* l) Addit Chronicon ſaxonicum, factum id eſſe ſumtibus cujusdam Comitis de Reuingen, quem iuduxiſſet Adelgotus, ut facultatibus ſuis in uſus ſacros erogatis ipſe vitam amplecteretur monaſticam. De quo etiam non dubitamus, cum certum ſit, his ſeculis monachatum in eam perveniſſe exiſtimationem, ut qui eum inirent, jam viventes beati & quaſi cœlitibus adſcripti cenſerentur. Hodie domum principalem in eo loco ſitam eſſe tradit OLEARIVS m)

An-

Anno cIↃ CXIX n) Coloniam conceſſit, ibique ſynodum a Conone Præneſtino Epiſcopo ſedis Apoſtolicæ legato indictum celebravit. In hac dictus Synodo excommunicationis fulmen in imperatorem Henricum V. neque vocatum neque auditum exploſit, quod Frizlariæ repetiit. o) Eodem anno mortuus ſepulcrum nactus eſt in monaſterio Hallenſi a ſe extructo. p) KRANZIVS q) refert illum ordinaſſe, ut quotannis ſingulis Quadrageſimæ diebus centenis pauperibus centeni panes cum totidem halecibus diſtribuerentur. 1119.

Addit. *Ad hiſtoriam Adelgoti AE. pertinet epiſtola memorabilis a. 1108. ad præſules & proceres Saxoniæ & alios in Germania, in cauſa religionis a Slavis vindicandæ miſſa, quam J. G. HORNIVS a. 1733. ex antiquitate eruit. Cum vero ejusmodi diſſertationes facile e manibus eruditorum elabantur: placuit illas literas memoriæ ſervandæ cauſa, hoc loco integras apponere. Exemplum earum hoc eſt:*

Adelgorius Dei gratia Magadaburgenſis Archi-Epiſcopus, Albuinus Merſeburgenſis, Walerannus Nuenburgenſis, Herewigus Miſnenſis, Hecil Habelbergenſis, Hartbrath Brandenburgenſis (epiſcopi,) Otto Comes, Ludovicus, & univerſi orientalis Saxoniæ majores & minores Reginhardo venerabili epiſcopo Halberſtatenſi, Erkamberto Corbejenſi Abbati,

Hein-

Heinrico Paderbrunnenſi, N. Mindenſi, Friderico Archi-Epiſcopo Colonienſi, N. Aquenſi, O. Leodienſi, G. Lutaringorum Duci, Ruotberto glorioſiſſimo Flandringenſium Comiti, Lamberto Archidiacono, Buricholdo circumſpectiſſimo Præpoſito, & Tanchrado inſigni Philoſopho & omnibus Chriſti fidelibus, epiſcopis, abbatibus, monachis, eremitis, recluſis, præpoſitis, canonicis, clericis, principibus, militibus, miniſterialibus, clientibus, omnibusque majoribus & minoribus dilectionem, orationem & in idipſum ſalutem.

Multimodis paganorum oppreſſionibus & calamitatibus diutiſſime oppreſſi, ad veſtram ſuſpiramus miſericordiam, quatenus eccleſiæ matris veſtræ nobiſcum ſublevetis ruinam. Inſurrexerunt in nos & prævaluerunt crudeliſſimi gentiles, viri absque miſericordia, & de inhumanitatis ſuæ gloriantes malitia, eccleſias Chriſti idololatria prophanaverunt, altaria demoliti ſunt & quod humana mens refugit audire, ipſi non abhorrent in nos perpetrare. In noſtram regionem ſæpiſſime efferuntur, nullique parcentes rapiunt, cædunt, fundunt & exquiſitis tormentis affligunt, quosdam decollant & capita dæmoniis ſuis immolant. De quibusdam viſceribus extractis manus abſciſſas & pedes alligant, ubi eſt, *inquiunt,* Deus eorum? *Quosdam in patibulo ſublatos permittunt ad majores cruciatus omni morte miſerabiliorem vitam pertrahere, cum vivi aſpici-*

ant

ant ſe per abſciſſionem ſingulorum membrorum mortificari & ad ultimum caſo ventre miſerabiliter eviſcerari. Quamplures vivos excoriant, & cute capitis abſtracta, hoc modo lavati in Chriſtianorum fines erumpunt & ſe Chriſtianos mentientes, prædas impune abigunt. Phanatici autem illorum, quotiens comeſſationibus vacare libet, ferus in dictis, capita, *inquiunt*, vult noſter Pripegala. Hujusmodi fieri oportet ſacrificia. *Pripegala, ut ajunt, Priapus eſt & Beelphegor impudicus. Tunc decollatis ante prophanationis ſuæ aras Chriſtianis, & horrendis vocibus ululantes*, agamus, *inquiunt*, dies lætitiæ, victus eſt Chriſtus, vicit Pripegala victorioſiſſimus. *Hujusmodi afflictiones ſine intermiſſione vel toleramus vel formidamus, quoniam eos ſemper progredi & in omnibus ingemiſcimus bene proſperari. Itaque, frates chariſſimi, totius Saxoniæ, Franciæ, Lutaringæ, Flandriæ epiſcopi, clerici & monachi de bonis ſumite exemplum & Gallorum imitatores in hoc etiam eſtote, clamate hoc in eccleſiis, ſanctificate jejunium, vocate cœtum, congregate populum, annunciate hoc & auditum facite in omnibus terminis prælationis veſtræ, ſanctificate bellum, ſuſcitate robuſtos. Surgite principes, contra inimicos Chriſti, arripite clypeos, accingimini, filii potentes, & venite omnes viri bellatores. Infirmus dicat*, quia fortis ſum ego, quoniam Dominus fortitudo plebis ſuæ & protector ſalvationum Chriſti ſui eſt. *Erumpite & venite omnes amatores Chriſti*

& ſicut Galli ad liberationem Jeruſalem vos præparate. Hieruſalem noſtra ab initio libera, gentilium crudelitate facta eſt ancilla. Hujus muri peccata noſtra corruerunt. Sed ruina hæc ſub manu veſtra, quatenus lapides pretioſi omnes muri ejus & turres Jeruſalem gemmis ædificentur. Platea ejus ſternantur auro mundo & pro horrendo ſonitu gentilium in conſpectu Pripegalæ cantetur in ea canticum lætitiæ & pro immolatione de Chriſtiani ſanguinis effuſione carnem & ſanguinem edant pauperes & ſaturentur, ut laudetis Dominum, qui requiritis eum, vivantque in ſeculum ſeculi corda veſtra, ut non deficiat de ore veſtro alleluja, alleluja. Ad hoc bellum devotas offert manus cum populo ſuo Rex Dacorum & alii principes per circuitum. Ipſe eti Rex noſter hujus belli auctor cum omnibus, quos poterit adducere, promtiſſimus erit adjutor. Sabbato in hebdomada rogationum erit conventus noſter Merſeburg & ubicunque in orientali Saxonia opportuna habemus loca. Sanctiſſimi patres, monachi, eremitæ atque recluſi, optimam partem cum Maria elegiſtis; ſed quia nunc tempus ita exigit, de contemplationis quiete cum Martha ſurgendum eſt vobis, quoniam fratribus veſtris plurimum turbatis cum Martha admodum neceſſaria eſt Maria. Vobis loquimur, immo in nobis Chriſtus loquitur vobis. Surge, propera amica, columba mea & veni. *Flores bonæ operationis apparuerunt in terra principum noſtrorum, tempus putationis advenit idololatriæ,*

vox

vox turturis audita eſt, quoniam caſta mater eccleſia ingemiſcit de idololatriæ ſpurcitiis. Nemo accendit lucernam & ponit ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant. Luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona. Surge itaque ſponſa Chriſti & veni. Sonet vox tua in auribus Chriſti fidelium, quatenus omnes ad Chriſti feſtinent bellum, Chriſti militibus veniant in adjutorium. Gentiles iſti peſſimi ſunt, ſed terra eorum optima carne, melle, farina, - - - avibus & ſi excolatur, omnium de terræ ubertate proventuum, ita ut nulla ei poſſit comparari. Sic ajunt illi, quibus nota eſt. Quapropter, o Saxones, Franci, Lutharingi, Flandrigenæ famoſiſſimi & domitores mundi, hic poteritis & animas veſtras ſalvifacere & ſi ita placet, optimam terram ad inhabitandum acquirere. Qui Gallos ab extremo occidente progreſſos in brachio virtutis ſuæ contra inimicos ſuos in remotiſſimo triumphavit oriente, ipſe tribuat vobis voluntatem & potentiam, hos affines & inhumaniſſimos gentiles ſubjugare & in omnibus bene proſperari. *)

*) in parte III. Singul. Magd. verſionem adjeci Germanicam.

g) pag. 242.

h) MEIBOMIVS in Chronico Bergenſi, p. 19.

i) Præter Chronicon Bigaugienſe videri poteſt CONR. VRSPERGENSIS ad an. 1115. & GOBELINVS PERSONA in Cosmodromio, ætate VI. cap. 58.

k) AVTOR libri de fundatione cœnobii Bigaugienſis, ad hunc annum.

l) SYFRIDVS PRESBYTER ad hunc annum.

m) parte II. Halygraphiæ, p. 142.

n) BARONIVS Annal. Eccleſiaſt. Tom. XII. hæc refert ad an. 1118. contra autoritatem Urſperpergenſis, quem allegat.

o) Vid. CONR. VRSPERGENSIS ad hunc annum. GOBELINVS PERSONA ad eundem. *Centur. Magdeburg.* XII. c. 9.

p) Vid. *VRSPERGENSIS* ad h. an. *ALBERTVS STADENSIS* ad eundem. *LANGIVS* in Chron. Citicenſi ad eund.

q) Metropol. lib. V. cap. 32.

§. 27.

RVGGERVS.

Adelgoto RVGGERVS (aliis Rotgerus & Rokardus) *Canonicus Canonica electione ſucceſſit*, ait CONRADVS Urſpergenſis. r) Hunc BVCELINVS s) potenti admodum familia editum tradit, quæ an fuerit comitum de Velthem, quod tradit Chronicon ſaxonicum, non habeo affirmare. Ex autore libri de fundatione monaſterii Bigaugienſis, qui genealogiam ejus tangit, hoc certe non exſculpes. Pedum Epiſcopale ab Henrico Imp. eum recepiſſe, diſerte ſcribit LANGIVS. t) KRANTZIVS u) vero illum hoc recuſaſſe memorat, eo quod Cæſar excommunicationis nexu nondum fuiſſet ſolutus. Pallium a Calixto P. multo ære redemtum clam ipſi ſubreptum eſt, quæ res multum ipſi faceſſivit negotii, ut referunt Centuriatores Magdeburgici. Fuit Rotgerus noſter ex numero eorum Antiſtitum (quales quidem bene multos habebat ſeculum iſtud ſuperſtitionis pleniſſimum) qui piis hominibus de peccatis ſuis ſerio dolentibus, modumque cœleſtis gratiæ impetrandæ ſollicite quærentibus, hoc unicum oſtendebant perfugium, ut depoſitis cingulis militaribus togam monaſticam x) aſ-

ſu-

ſumerent. Wiperto enim Luſatiæ Marchioni ſalutis ſuæ ſatagenti in monaſterio Pegavienſi cucullum induit. y) Anno clↄ C XXIII. Richvvinum, anno 1123. clↄ C XXVI Udonem Richvvini ſucceſſorem, Numburgenſes Epiſcopos ordinavit. z) Obitum ejus *Autor* libri de fundatione monaſterii Gozecenſis refert in annum clↄ C XXVI. *Chronicon* vero *Montis Sereni* 1126. in annum clↄ C XXV, quod & ſequuntur Centuriatores Magdeburgenſes, ut & Chronici Saxonici autores.

r) ad annum 1119.

s) in Germania Sacra.

t) in Chron. Citizenſi, p. 784.

u) lib. VI. Metropolis cap. 8.

x) Hanc teſte *MEIBOMIO* in notis ad Chronicon comitum Schauenburgenſium *HERMANNI DE LERBECKE*, p. 66. *REINHARDVS* Epiſcopus Halberſtadenſis in literis Confirmationis monaſterii Hamerslebienſis *ſanctitatis veſtem* appellat.

y) Vid. *Chron. Bigaugienſe* ad an. 1124.

z) P. *LANGIVS* in Chron. Cit. p. 784. 785.

§. 28.

Tunc vero magnum ortum eſt ſchiſma propter NORBERTVS. electionem ſucceſſoris, nam ſimul tres de eo Pontificatu digladiabantur, ex quibus unus nomine Arnoldus a civibus eſt trucidatus. a) Neque ſic contentionibus finis modusque eſt ſtatutus, donec Luderus ſive Lotharius Imp. remotis duobus illis NORBERTVM renunciaret Archi-Epiſcopum. b) Hujus vitam plures ſcripſere, quorum antiquiſſimus eſt HVGO, primus aſſecla & diſcipulus ejus ſucceſſorque primus in Præmonſtratenſi prælatura. Poſtea MARTINVS

MERTZ, Prior cœnobii Rothenſis in Suevia, & nuperrime Johannes Baptiſta SCHELLENBERG, e ſocietate Jeſu: ex quibus potiora in compendium contracta huc transferemus, additis convenientibus locis iſtis, quæ alii præterea ſcriptores ſuppeditabunt. Natale ſolum habuit Xantes in Menapiis, ubi ſub annum
1070. Chriſti clↄLXX ex illuſtri Saliciorum ſtemmate in lucem editus eſt. Nec diſſentiunt hic, qui Colonienſem, nec qui Lotharingum patria fuiſſe aſſerunt. Eſt enim Xantenſe in agro Clivenſi opidum Colonienſis diœceſios, veteriſque Lotharingiæ multo latius olim quam nuper & hodie diffuſe terminis continetur, uti tradit MALLINCROTIVS. c) Ex ephebis egreſſus cum eximia quædam in eo vis ingenii corporiſque emicaret, in Henrici IV. & dein Friderici Colonienſis Archi-Epiſcopi aulam ablegatus eſt, ut ibidem civilibus aſveſceret negotiis. Sed cum ingenti aliquando fulminis fragore ex equo ſterneretur, id cœleſte monitum ratus, ut aliud vitæ genus auſpicaretur, in Sigebergenſe monaſterium receſſit. Quod vero rigidus eſſet morum cenſor, ac novam & inſolitam tueretur
1119. vitæ rationem, æmuli ipſius anno clↄCXIX. in concilio Colonienſi tanquam hypocritam & impoſtorem novo veſtitus & vitæ genere cultum Dei inſtituentem graviter eum accuſabant. Nobertus vero ſingulari, qua pollebat, eloquentia perfecit, ut ab omni crimine liber pronunciaretur. d) Anno clↄCXX *a Calixto P.*
1120. *Bartholmæo Laudunenſi Epiſcopo ſpecialiter commendatus, cum ei Eccleſia B. Martini a prædicto Epiſcopo offer-*

fer-

ferretur, tum propter urbis viciniam, tum quia ejuſdem Eccleſiæ clerici propoſiti & vitæ ejus auſteritatem horrebant, eam reliquit, & ab Epiſcopo diverſis ejusdem provinciæ locis religioni congruentibus ſibi oſtenſis, tandem divinitus in loco Præmonſtrati reſedit, ibique ſolitarius religioſam vitam agere cœpit, & tempore Quadrageſimæ ad colligendos ſocios ſolus egreſſus ante Paſcha cum XIII. ſociis rediit, & cum his in Præmonſtrato loco ſecundum Canonicæ inſtitutionis normam, ad tenorem regulæ B. auguſtini Deo militare cœpit. Hæc ex Roberto de Monte e) hic inſerere placuit, quoniam a narratione Schellenbergii & aliorum recentiorum paululum diſcrepant. Idem ille Schellenbergius tradit ex Præmonſtratenſium Chronico, D. Auguſtinum Norberto ſe coram ſtitiſſe, ſuasque tralucenti auro inciſas leges e ſinu prolatas in manus eidem commiſiſſe, adjectis his verbis: *Norberte, tene volumen manu noſtra exaratum, quod te tuosque tremendo illo ac fatali mundi die ad Chriſti judicis tribunal, ſi vita moribusque religioſis id expreſſeritis, æternæ ac beatæ immortalitatis ſecuros reddet.* Quæ quin ad amplificandam ordinis Præmonſtratenſium gloriam ſint conficta, nulli dubitamus. Sed audiamus etiam, quid de candido Præmonſtratenſium veſtitu fabuletur idem: *Auguſta cœli regina,* inquit, *ei ſe contemplandam obtulit, juxtaque in vallem modo demonſtratam digito intendit, ac inter cœleſtes haſce delicias in amplexantis ac a ſenſibus prope deſtituti brachia innocentiæ ſymbolum, candidiſſimi nimirum telam depoſuit: Fili,* inquiebat, *tene*

ami-

amictum niveum. Inde ex oculis præ gaudio manantibus ſubducta in aſtra rediit. Incluſit hæc omnia ſequentibus rythmis Norbertinus quidam:

Cruce locus præmonſtratur,
Ubi ſtruas regiam.
Sancta tibi Virgo mater
Veſtem præbet niveam.
Sanctus Auguſtinus pater
Auro præſcribit regulam.

1126. Anno cIↃ CXXVI Antvverpiam evocatus eſt, ut eccleſiæ illi novi Hæreſiarchæ opere labefactatæ opem ferret. Norbertus extemplo ſe illuc contulit, nec quicquam intermiſit, quod ad exſcindendas nondum confirmatæ hæreſios radices facere videretur. Senatus igitur populusque Antvverpianus grati memoresque aſceterium probis doctisque e diſciplina Norberti alumnis erexerunt, cui primus moderator Sylvanus deputatus eſt. f) Archi-Epiſcopus denominatus anno cIↃ CXXVII g) magna pompa ab Epiſcopis Halberſtadenſi, Brandenburgenſi & aliis in urbem eſt deductus. Quod vero vili ut ſolebat, cultu ac nudis quoque pedibus incederet, ab atrienſi, Norbertum de facie ſibi ignotum obſcurum hominum æſtimante, palatii foribus repulſus eſt, donec atrienſis ab aſtantibus certior fieret, ipſum eſſe Archi-Epiſcopum. Anno cIↃ CXXIX in Ammenslebienſi monaſterio, canonicis ſecularibus, qui illud hactenus tenuerant,
1129. ſubſtituit monachos Benedictinos, idque conſilio & opera Arnoldi Abbatis Bergenſis Norberto familiaris

aris & neceſſarii, qui & ordinis & collegii ſui honori & emolumento intentus, nonnullos e fratribus ſuis eo ablegavit. h) Eodem anno in ædem P. Virginis Magdeburgi, ordinis Præmonſtratenſis monachos introducere moliebatur, Canonicis (viginti numero erant, qui eam tunc incolebant) amotis. Vi tamen rem agere inconſultum ratus, ut cederent blandis perſuaſit verbis. Tranſtulit horum nonnullos in alia collegia, quibusdam certos unde viverent, reditus aſſignavit. Sic ædes San-Mariana cum ſuis fundis & proventibus ceſſit familiæ Præmonſtratenſi. Negotium tractatum & confectum eſt in monte Johannis Baptiſtæ, adjuvante rem Arnoldo Abbate. i) Eodem anno ingentem ſeditionem concitarunt Magdeburgenſes adverſus Archi-Epiſcopum, cujus ſumma ita habet: Delatum erat ad Norbertum, baſilicam Mauritianam libidinibus eſſe profanatam, qui ſtatim Misnenſem & Halbergenſem Epiſcopos arceſſivit, ut conſvetis denuo ritibus eam conſecrarent. Cum vero cives remis veliſque obniti animadverteret, cœpta nocte quadam peragere conſtituit, qua obſeratis Baſilicæ valvis laudatis ad id negotium aſſumtis Præſulibus ædem ſacram rite expiavit. Solennibus vix dum peractis, cives conſuſo per compita clamore congregati, in baſilicam irruptionem fecerunt, & conſecrationem impedire voluerunt. Concitatam plebem acrius incendit rumor, quo ſpargebatur Archi-Epiſcopum aras dejeciſſe, gazophylacium exhauſiſſe, & in ipſa mortuorum conditoria graſſatum eſſe. Norbertus interea

cum ſuis ſumma turris conſcenderat, ibi ſe ſecurum fore putans. Sed furibunda plebs jam illo penetraverat, cum repente prætor urbis de via peregre interveniens prolatis in medium Divorum lipſanothecis motus comprimeret. Nondum tamen ſic emerſerat e vado Norbertus; nam brevi poſt denuo in caput ejus cudebatur faba, & niſi clanculum ſe ſubduxiſſet, de vita ejus forſam actum fuiſſet. Poſtquam autem deſæviiſſet plebejus furor, Magdeburgenſes ArchiEpiſcopum nobilium manu ſtipatum multâ cum gratulatione receperunt. Atque ſic etiam hæc civi-
1131. lis turba reſedit. Anno MCXXXI eccleſiam de Dei gratia (GOttes Gnade) haut procul Calba ad Salam ſitam in honorem b. Virginis & Victoris martyris fundavit, *de proprietate nobilis viri Ottonis comitis de de Crudorp*, ut habent verba chronici montis Sereni. Ipſe quoque primum lapidem poſuit laudatumque comitem in eadem eccleſia Canonicum ſtatuens in diaconatus ordinem promovit. k) Eodem anno Rhemos in Gallias conceſſit ad concilium, quod ibidem celebrabatur, in quo confirmata electione Innocentii Acacletus Anti-Papa anathemate percuſſus eſt. *Attulit autem Norbertus ſecum Eccleſiæ ſuæ privilegia vetuſtiſſima & fere a vermibus conſumta, quæ cuncta Romano munimine fecit renovari & corrigi, apponens ea, quæ receperat, de manibus illorum, qui ea injuſte & violenter rapuerant. Addidit præterea aliud privilegium ſecreto, ut cum daretur oportunitas, Romana fultus autoritate ordinem ſuæ religionis in*

Epi-

Epiſcopali propagaret Eccleſia. Verba hæc ſunt HVGONIS l) apud Surium m) quæ exhibet BARONIVS in Annalibus ſuis. n) Unde patet, quanta ſit temporum confuſio apud Schellenbergium o) qui hanc profectionem factam ſcribit ante motus, de quibus jamjam egimus, Magdeburgicos, quo tempore adhuc in vivis fuit Honorius Papa, anteceſſor Innocentii. Anno MCXXXIII cum imperatore Lothario, cujus 1133. Cancellarius factus erat, Romam profectus eſt, ad introducendum in ſuam ſedem Papam; ubi cæſar inaugurationem ab Innocentio II. Papa per eundem impetravit. p) Singulare eſt, quod de ſeſſionis prærogativa inter Archi-Epiſcopum noſtrum & abbatem Fuldenſem hic orta refert MALLINCROTIVS q) ex antiquo ſcriptore, inter monumenta Fuldenſis eccleſiæ reperta, cujus verba huc transſcribi merentur: *Ipſo eodem die conſecrationis Imperatoris & Imperatricis, domino Apoſtolico & ipſis conſidentibus, orta eſt diſſenſio inter miniſtros ipſius Abbatis & Archi-Epiſcopi Magdeburgenſis de primatu ſedendi: cumque pro hac re viciſſim prope usque ad effuſionem ſanguinis altercarentur, ſuperveniente Abbate & juſta defenſione pro hujusmodi rationem reddente, favente ſibi Imperatore, ut ab initio Fuldenſis eccleſiæ omnibus anteceſſoribus ſuis conceſſum erat,* r) *primatum ſedendi invito Archi-Epiſcopo obtinuit.* Bene autem eſt, quod Mallincrotius addat, ſanctum virum ab hujusmodi contentionibus plurimum abhorruiſſe, eoque haut difficilem fuiſſe iſtius motus compoſitionem. Non

diu poſtquam ex Italia reverſus eſſet, morbo quodam correptus eſt, quo cum IV. menſes laboraſſet, ex-
1134. tinctus eſt anno MCXXXIV, feria IVta Pentecoſtes. s) θαυματεργον & prophetam eum facit Schellenbergius, tantamque nomini ipſius vim attribuit, ut & lupum ovibus inſidiantem ipſo inclamante protinus in fugam datum eſſe aſſerere non dubitet. Hinc etiam in ſyllabum divorum ab ab Innocentio III. publicis rabulis relatus eſt & ſacris ſolennibus per Chriſtianum orbem coli cœpit anno
1198. M C XCIIX. De corpore illius, quod ſuavem exhalaſſe ferunt odorem, inter clericos majoris eccleſiæ & fratres ſ. Mariæ contentio gravis exorta eſt, quam quidem ſolus imperator potuit dirimere. Hic enim fratribus S. Mariæ illud adjudicavit, t) in quorum templo etiam conditum eſt, addito hoc epitaphio: NORBERTVS DEI GRATIA S. MAGDEBVRGENSIS ECCLESIÆ EPISCOPVS, ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS INSTITVTOR ET HVJVS MONASTERII RESTAVRATOR SVB HOC MARMORE CONDITVR ANNO DOMINI MCXXXIV.
1626. IV. JVNII. Illud tamen anno MDCXXVI auſpiciis Ferdinandi II. Imp. conſentientibus reverendiſſimo Adminiſtratore & ſenatu Magdeburgico, præſul Strahovienſis cœnobii Gaſpar Queſtenbergius Magdeburgo Pragam tranſtulit. u) MALLINCROTIVS, x) Petrus Baptiſta BVRGVS y) & alii ſcriptores Pontificii annotarunt, Magdeburgum non prius a Cæſareis copiis expugnari potuiſſe, quam hujus tutelaris divi reliquiæ ex urbe fuiſſent exportatæ. Ad-

Addit. *Conſ. ſi placet, programma noſtrum de* Norberto male conſecrato, *ubi ſimul rariſſimam Norberti monetam addidi, quæ inter bracteatos AEpp. Magd. me judice prima eſt.* Leuckfeldus *ſane, qui de numis Magd. ſcripſit, hanc non vidit.*

a) *DODECHINUS* in appendice ad Marianum Scotum, ſub an. 1126.

b) *KRANTZ.* Metropol. lib. VI. cap. 12.

c) in ſupra laudato opere de Archi-Cancellariis, p. 132.

d) Vid. *CONR. URSPERGENSIS* ad an. 1127. Centur. Magdeburg. cap. 9.

e) in appendice ad Chronographiam Sigeberti Gemblacenſis.

f) *ROB. DE MONTE* ad an. 1124. *BARONIUS* Tom. XII. ad a. 1126.

g) *ROB. DE MONTE* ad hunc annum.

h) *MEIBOM.* in Chronico Bergenſi p. 22.

i) *ROB. DE MONTE* ibidem. Meibomius ibidem.

k) Vid. *Chronicon Montis Sereni* ad hunc annum.

l) Scriptoris vitæ Norbertinæ ſupra laudati.

m) die 6. Junii c. 47.

n) Tomo XII. ad annum 1131.

o) parte III. p. 91. & ſequentibus.

p) Vid. *R. de Monte* ad hunc annum. *Chronicon Montis Sereni* ad eundem. *Baronius* ad eundem.

q) de Archi-Cancellariis p. 219.

r) Hæc verba prorſus rejicit *Malincrotius* d. l. p. 216.

s) *Hugo* in Vita Norberti c. 50. *Robertus de Monte* ad hunc annum. *Chronicon* Montis Sereni ad hunc annum.

t) Vid. *ROB. DE MONTE* ad annum 1134.

u) Vid. *CAROLUS CARAFFA* in Commentario de Germania ſacra reſtaurata, p. 318. Adolphus Brachelius hiſt. lib. III. p. 120.

x) laudato tractatu p. 132.

y) in Marte Sueco-Germanico lib. II. p. 172.

§. 29.

CONRADVS. Deinceps concordibus ſuffragiis in Archi-Epiſcopum electus eſt CONRADVS comes de Querfort, ejusdem eccleſiæ Canonicus, conſentiente Imperatore, qui feſtum Apoſtolorum Petri & Pauli Magdeburgi celebraverat. Hic jam tum poſt obitum Rotgeri a plerisque Archi-Epiſcopus fuerat deſignatus, ſed Arnoldus abbas Bergenſis, qui magnæ fuit autoritatis apud ſummi templi Canonicos, pertracto in in ſuam ſententiam Friderico præpoſito electionem impediverat, prætendens, illum qui Sub diaconus eſſet, nec poſſe nec debere eligi. z)
1135. Anno MCXXXV fanum Ammenslebienſe innovatum & ad uſum Benedictini ordinis accommodatum ſolenni uſitatoque ritu inauguravit. a) Hoc anno imperator Lotharius II. celebravit Pentecoſten Magdeburgi, *ubi Othilricus Dux Bohemorum & legati Bolizlai ducis Polonorum & Godefridi ducis Lovaniæ, Hungarorum etiam & Danorum nec non Slavorum, cum principibus illuc venientibus adſuerunt,* Eodem anno Conradum Sveviæ ducem Friderici fratrem, qui cum imperatore per conjugis Auguſtæ interceſſionem in gratiam redierat, excommunicationis nexu ſolvit. b) Anno
1136. no MCXXXVI Eccleſiam Nunnicenſem, quam parentes Conradi marchionis Miſniæ fundaverant, in dignitatem abbatiæ promovit, & ſuo privilegio confirmavit. c) Eodem anno Henricus marchio Luſatiæ & Burggravius Magdeburgenſis mortuus eſt nulla

la relicta prole maſcula, unde Burggraviatus Burchardo Archi-Epiſcopi noſtri germano fratri a Cæſare collatus eſt. d) Hic ad poſteros, ſi non poſſeſſionem illius dignitatis, minimum tamen titulum, transmiſit. Etenim adhuc in trinepotis Burchardi, comitis Mansfeldii & nobilis Domini de Querfort, titulo Burggraviatus nomen reperiri annotavit PHIL. JAC. SPENERVS. e) Anno MCXXXIX bellum 1139. geſſit cum quodam Bernhardo comite, ejusque caſtrum Plozke cepit ac demolitus eſt. f) Sacrilegii eum inſimulant Centuriatores Magdeburgenſes, nam LXX auri marcas ab ornamentis aræ S. crucis ablatas in ſumtus itineris, cum imperatorem in Italiam comitaretur, impendiſſe referunt. g) Monaſterium Sereni Montis ſive Lauterbergenſe, quod & San-Petrinum dicitur, ſub eo acceſſiſſe Archi-Epiſcopatui, ex aliis autoribus oſtendit Olearius. h) Deceſſit anno M C XLII in faucibus Alpium circa Torrentinum, 1142. VI nonas Maji, poſtquam VII annis, IX menſibus & XXVI diebus præfuiſſet. i)

z) *Chronic.* montis Sereni ad a. 1134. *MEIBOMIVS* in Chron. Berg. p. 21.

a) *MEIBOMIVS* d. l. p. 24.

b) *Chronicon* montis Sereni ad hunc annum. *Centur. Magdeb.* XII. cap. 10. membro 33.

c) *Chronicon* montis Sereni ad hunc annum.

d) Idem ibidem.

e) in illuſtratione inſignium ſereniſſ. familiæ Saxonicæ c. I. Sect. 1. §. 23.

f) *Chronicon* montis Sereni ad hunc a.

g) *Centur.* XII. c. 10. in vita ejus.

h) Halygraphiæ parte II. p. 146.

i) *Chronicon* montis Sereni ad h. annum. Chron. Saxon. in vita ejus.

§. 30.

FRIDERICUS. Succeſſor Conradi fuit FRIDERICVS, Thiederici comitis cujusdam filius, k) *cuſtos majoris Eccleſiæ*, quod de cuſtode theſauri ſive Theſaurario intelligere mavult Chronicon Saxonicum. Is principi cuidam Poloniæ nomine Petro magnam partem reliquiarum S. Vincentii tradidiſſe dicitur. l) Anno
1145 MCXLV Conradus rex ad celebrandum natalem Domini Magdeburgum venit, ſed quia in comitatu ſuo habuit Hermannum comitem de Stahlecke excommunicatum, a clero regali more non eſt exceptus. m) Anno MCXLVII *magna multitudo ſignatorum contra paganos, aquilonem verſus habitantes, profecta eſt, ut eos aut Chriſtianæ religioni ſubderent, aut omnino delerent. Hujus expeditionis principes erant Fridericus Magdeburgenſis Archi Epiſcopus, Rodolphus Halverſtadenſis, Wernerus Monaſterienſis, Reinhardus Merſeburgenſis, Wikerus Brandenburgenſis, Anshelmus Havelbergenſis, Henricus Moravienſis, Epiſcopi, Wibolt Corbejenſis abbas, Conradus marchio, Adelbertus marchio, Fridericus Palatinus comes, Hermannus Palatinus comes, cum aliis multis, quorum numerus erat LX millia.* Integer hic ſermo eſt autoris Chronici montis Sereni, quem ideo huc transferendum duximus, ut probatum demus falſum eſſe, quod tradit Chronicon Saxonicum, Fridericum noſtrum ſe aſſociaſſe Conrado imperatori & cæteris principibus in Palæſtinam moturis. n) Cum Chronico montis Sereni concordat fragmentum vetuſtum Chronici

1147. (margin)

nici Brandenburgenſis, o) ubi ita: *Hic* (Suigerus Brandenburgenſis Epiſcopus) *anno Domini cIↄ C XLVII cum Frederico Magdeburgenſi Epiſcopo & Anſelmo Havelbergenſi Epiſcopo & pluribus aliis, accepta cruce contra paganos contra Aquilonem habitantes, profectus eſt.* Prolixe hanc expeditionem in boreales paganos deſcripſit Saxo Grammaticus. p) Anno MCXLIIX Archi-Epiſcopus noſter & alii nonnulli 1148.
Saxoniæ principes cum Bolizlao & Miſecone, Poloniæ ducibus, fœdus inierunt. q) Anno MCL Conra- 1150.
dus Miſnenſis marchio de extollenda montis Sereni eccleſia ſummopere ſollicitus, cum Nimecenſem a parentibus ſuis fundatam voto ſuo obſtare, & illam tamen pro redituum mediocritate non facile efflorescere poſſe pervideret, de unione harum eccleſiarum, &, ut loquitur autor Chronici montis Sereni, *hanc cum omnibus ad ipſam pertinentibus in proprietatem & uſum alterius transferre cogitavit, ea videlicet ratione, ut divinum officium, quod in hac annullatum erat, in illa copioſius ſuppleretur, ſimul etiam ne parentum ſuorum oblatio inutiliter deperiret.* Hujus negotii promovendi cauſa legatos ad Eugenium papam miſit Anshelmum Havelbergenſem Epiſcopum, & Gebhardum Magdeburgenſis eccleſiæ majoris Præpoſitum, per eosdem petens, ut, quod de laudatis eccleſiis in animo haberet, autoritate ſua confirmaret. Huic petitione locum relinquens Papa, Archi-Epiſcopo noſtro in mandatis dedit, nomine papali hanc unionem, & ut vulgo loquuntur, incorporationem eccleſiæ Nimecen-

L ſis

ſis monti Sereno conficeret. Ipſam epiſtolam Papalem in Tuſculano V. nonas Maji datam laudatus autor affert, & rem ipſam demum ſic concludit: *Fridericus itaque Archi-Epiſcopus, quod in mandatis acceperat, exequi ſtudens, eccleſiam Nimecenſem in proprietatem & uſum fratrum Sereni montis transtulit, factumque hoc ſummi Pontificis, nec non ſuæ auctori-*
1152. *tatis munimine confirmavit.* Abiit e vita anno MCLII. r)

k) Vid. *Chronicon* montis Sereni p. 202. ubi plenior genealogia ejus.

l) Vid. *Chron.* Saxonicum & Centuriatores Magdeburgenſes.

m) *Chron.* mont. Ser. ad h. a.

n) Suſcepta eſt hæc expeditio eodem anno 1147. docente Chronico montis Sereni ad eundem.

o) Edidit hoc Maderus in appendice ad antiquitates Brunſuicenſ. p. 274.

p) lib. XIV. hiſtoriæ Danicæ.

q) *Chron.* montis Sereni ad hunc annum.

r) *Chronicon* montis Sereni ad hunc annum.

§. 31.

WICMANNUS. Tunc vero gravi ſchiſmate laboravit Archi-Epiſcopatus, duobus in diſcordia electis, Hazzone videlicet Decano & Gerhardo Præpoſito, quorum tamen neuter voti compos factus eſt. Etenim Fridericus I. Imp. quem arbitrum elegerant in hac cauſa, pleroſque Canonicorum variis perſuaſionibus induxit, ut WICHMANNUM antiſtitem Numburgenſem deſignarent Archi-Epiſcopum, *cui* & ipſe poſtea *regalia ejusdem eccleſiæ conceſſit*, ut habet OTTO FRISINGENSIS. s) Autor Chronici montis Sereni t) ait, Wichmannum *modis, qui in ejusmodi cauſis præcipue valent,*

præ-

præmiſſis (forte legendum præmiis) *videlicet & muneribus* Canonicorum ſuffragia obtinuiſſe. Hæc res quam male habuerit Eugenium papam, docet ejusdem epiſtola ad nonnullos Germaniæ Epiſcopos perſcripta. u) Erat Wichmannus nobili ſtemmate Bavarorum & Saxonum oriundus, patre Gerone, comite Bavaro x) matre vero Mechtilde ſorore Conradi comitis Miſniæ natus. y)

Addit. *Wicmannus a multis creditur fuiſſe Bavarus. Falſo. Nam ſolo nomine talis fuit, ipſe vero natus eſt Seburgi in Comitatu Mansfeldenſi, ſuasque ibi & in agro Magd. poſſeſſiones habuit V. HOPPENRODII Stambuch in voce Seburg: &* Chron. *Marienthal. T. III. rerum German. Meibomii p. 257. Qua ratione autem ipſe cum majoribus ſuis ex generatione paterna potuerit dici Bavarus, ex genealogia Suinfurdo-Bavarica in EKHARDI ſtemmate Wittekindeo videre eſt. Plura de Wicmanno ſuppeditabo in vita ejus, nummis illuſtrata.*

Anno MCLIV Romam, ut pallium, quod Eugenius 1154. papa ipſi hactenus denegeverat, ab Anaſtaſio ſucceſſore impetraret, (non enim ab Eugenio accepit, ut putant Centuriatores Magdeburgenſes & autores Chronici Saxonici) profectus eſt, ſtipatus legatis Friderici imperatoris, qui cauſam illius ut agerent in mandatis habebant. Papa vero poſitum in altari D. Petri pallium, antiſtitem, *ſi ſe canonice ſciret electum*, tollere juſſit.

juſſit. Quo hæſitante quidam Canonicorum ipſius & unus militum illud arripuerunt ac Epiſcopo obtu-
1156. lerunt. z) Anno MCLVI Conradum avunculum, Miſniæ & Luſatiæ marchionem, qui religionis cauſa monaſterium Lauterbergenſe ingreſſus erat, præſentibus aliis Epiſcopis, ſuis manibus *coram altari B. Petri veteris hominis veſtitu exuit, & regularis vitæ habitu veſtivit*, ut loquitur autor Chron. mont. Sereni. An.
1157. MCLVII Brandenburgum poſt brevem obſidionem cepit, a) quod vero diu poſt ipſi iterum extorſit Al-
1158. bertus Urſus. b) Anno MCLIIX Imp. Fridericus I feſtum natalitiorum celebravit Magdeburgi. c) An.
1160. MCLX concilio ab Imperatore Papiæ indicto cum multis clericorum ſuorum interfuit, in quo contra Alexandrum Pontificem electus eſt Victor. d)
1164. An. MCLXIV peregrinationem ſuſcepit in Palæſtinam (ſic enim interpretor *partes transmarinas*, quas vocat autor Chronici montis Sereni) in qua cum a Saracenis captus eſſet, votum fecit, ſe, ſi libertatem recuperaret, deſerto Octaviano Anti-Papa ad partes Alexandri III tranſiturum. e) Huic autem ex aſſe non
1166. ſatisfecit. Concilio enim, quod anno MCLXVI ad confirmandas res Anti-papæ Paſchalis Würtzburgi indixerat Imperator, interfuit, imo cum cæteris Epiſcopis juravit, quamvis non ſine lacrymis, *ſe nullo unquam totius vitæ tempore Alexandrum III, vel aliquem, qui ex parte ipſius ſit, in Pontificem recepturum, ſed devotioni Papæ ſui Paſchalis inconcuſſe ſemper & inſeparabiliter adhæſurum*, & talia plura, quæ videri

poſſunt

poſſunt in litteris ab amico quodam ad Alexandrum pontificem datis apud laudatum Baronium. f) Eodem anno mortuo Arnoldo Bergenſi abbate, Sigfridum cœnobitam collegio non præfecit, ſed obtruſit. g) Cum Hermanno quoque Hildeſienſi Epiſcopo & aliis Saxoniæ principibus contra Henricum Leonem, cui gloria invidiam pepererat, conſpiravit, unde ingens poſtea enatum fuit bellum, h) in quo Wichmannus cum ſociis vetus Haldenslebium & caſtrum Niendorp deſtruxit. i) Henricus Leo etiam ita vexavit Saxoniam, ut Hartvvicus Hamburgenſis & Conradus Lubecenſis Epiſcopi ad noſtrum Archi-Epiſcopum confugere neceſſum haberent. k) An. M C LXVII *clauſtrum Nienburg & caſtrum Vrakeleve* ex permutatione ab imperatore acquiſita ſuæ diœceſi adjecit. l) Aliis præterea tribus arcibus, quas ex hereditate acceperat, eandem donavit, nempe Lebehenſi, (Lebechun) Beyerenſi (Biern) & Seburgenſi. m) Hanc tamen poſtmodum in feudum acceperunt ab Epiſcopis Mansfeldenſes comites, teſte Hamelmanno n) qui & inſuper nos docuit, his temporibus ad Archi-Epiſcopatum acceſſiſſe opidum Alsleben, nec non arcem Sommerburgenſem. Et hanc quidem ab Adela ſive Adelheide Alberti ultimi comitis Sommerburgii filia unica & tunc temporis Abbatiſſa Quedlimburgenſi, ſibi comparavit, reclamante Henrico Leone & ejus filiis. o) Anno MCLXIIX Haldenslebium, Henrici Leonis propugnaculum obſidione cinxit, contra cujus inſultus fortiter eam defendit

(margin: 1167. — 1168.)

fendit Bernhardus comes de Lippia, dum eruptionibus crebris rapiniſque vicinos fatigavit, auſus ſubinde usque ad muros Magdeburgenſes prædabundus excurrere. Qua occaſione hæc obſidio ſoluta ſit, ex Chronico montis Sereni p) referre libet: *Civitas eadem in palude ædificata erat, triplici vallo & muro forti munita. Palus autem circa civitatem porrecta non patens ſed ſub ceſpite latens erat, & ceſpes ipſe non ſolidus, ſed veſtigiis cedens, quaſi immerſionem deſuper ambulantibus minabatur. Super hunc machinæ multæ diverſi generis multo labore, & ſumtibus magnis ad capiendam civitatem conſtruebantur. Interim vero hi, qui obſeſſi fuerant, ſtultum judicantes, nihil per ſe agere, quoniam hujusmodi materies flammæ admodum capax eſt, ceſpitem ex ea parte, qua extremo civitatis vallo jungebatur, obſeſſoribus ignorantibus incenderunt. Ignis autem ſubterraneo meatu ſerpens cito dilatatus eſt; qui cum ad locum machinarum veniſſet, ceſpes ſubter igne exeſus molem ſuperpoſitam ferre non valens repente ſubſidit, totaque illa ſtructura cadendo ſecuta copioſum igni pabulum miniſtravit. Equi etiam plurimi in hujusmodi cavernis ruentes in igne debilitabantur. Wickmannus autem Archi-Epiſcopus & machinarum perditione & auxiliatorum diſceſſione debilitatus obſidione ſoluta diſceſſit.* Finitis tandem bellis ac diſſeſſionibus tanta inter illos facta eſt animorum conjunctio, ut Henricus Leo votivum iter in Palæſtinam ingreſſurus, ditionum ſuarum tutelam Wichmanno noſtro committeret. q)

Anno

Anno MCLXXV excommunicationis fulmen emiſit 1175.
in omnes, qui ludo equeſtri, quem torneamentum
vocant occupabantur; imo Conrado comiti, Tiderici
marchionis filio in hoc exercitio lanceæ ictu occiſo
non ante concedere voluit *communionem fidelium ſe-
pulturæ*, quam pater & fratres ejus productis teſtibus
probaſſent, interemtum ante exceſſum ſerio pœniten-
tiam egiſſe, & inſuper quoque ſub juramenti religione
*promiſiſſent a torneamento impoſterum abſtinere, nec
usquam in omni ditione ſua hujusmodi exercitium per-
mittere, hominesque ſuos & miniſteriales ab eo omni-
bus modis coërcere.* r) Anno MCLXXVII ejus po- 1177.
tiſſimum ope & induſtria inter imperatorem Fride-
ricum I & Alexandrum III Pontificem pax firmata eſt
Venetiis, ubi & ipſe præſens adfuit & abſolutionem
ab excommunicatione una cum imperatore & cæteris
ejus fidelibus impetravit. s) Anno MCLXXIIX li- 1178.
tem inter Henricum Leonem & Philippum Colo-
nienſem Archi-Epiſcopum de hereditate quadam or-
tam, quæ jam ad incendia & rapinas adduxerat Phi-
lippum, ſua autoritate diremit. t) An. MCLXXXI 1181.
Haldenslebium denuo obſedit, cepit, evertit, uſus ſtra-
tegemate ſingulari, quod ex Chronico montis Sere-
ni hic adjiciemus: *Hi, qui in civitate erant, adhuc ſi
poſſent eam amplius munire cogitabant. Cum enim
fluvius Ora ex una eam parte præterfluens valde mu-
niret, alium tamen fluviolum, qui Bivera dicitur, ad
alteram ejus partem derivantes inacceſſibilem penitus
reddiderunt. Aquis enim circumquaque ſtagnantibus*

quaſi

quaſi inſula videbatur. Sed hæc res civitati perditionem procuravit. Deprehenſum eſt enim ex hoc ſitu terræ conſiderato, quod ſi decurſus aquarum aggere jacto prohiberetur, civitas aquis ſurſum creſcentibus mergeretur. Hoc etiam ad obſidionem Epiſcopum mox revocavit. Labore itaque maximo infra tres menſes & duas hebdomadas aggere conſummato, in tantum aqua excrevit, ut pene ſuper muros civitatis influeret. Tunc demum Epiſcopus naves armatorum plenas civitati juſſit applicari. Obſeſſi autem & jam captivati rebus ſuis deſperatis pacem ab ipſo petiverunt, & ſalvis rebus ſuis & corporibus civitatem ipſius tradiderunt poteſtati. u) Addit Chronicon Saxonicum, illam Archi-Epiſcopo hoc tempore in feu-
1184. dum conceſſam eſſe. Anno M C LXXXIV eccleſiam Halenſem ad S. Mauritium, quæ hactenus parochialis fuerat, in conventualem mutavit, primo Præpo-
1192. ſito inſtituto Dudone. x) Deceſſit anno M C XCII *in poſſeſſione* (ita auctor vocat prædium more Gallorum) *ſua quæ Couzé dicitur*, ubi inteſtina illius humata ſunt, corpus vero ſale conſperſum, ne æſtu corrumperetur, Magdeburgum delatum & in templo Cathedrali ante altare S. crucis terræ mandatum eſt. y) PAVLVS LANGIVS z) ejus obitum refert in annum MCXCIV. Hiſtrionum catervam multum apud eum valuiſſe, eorumque ludicris præcipue fuiſſe delectatum, memorat toties laudatus autor a) ubi id inprimis memoratu dignum reperire eſt, quod non diu ante obitum Calbæ prandens horum hiſtrionum

unum

unum conſpiciens vehementer exhorruerit, atque ut foras exiret, clamare cœpit. Illo autem, ac ſi joco ageret Epiſcopus, non manente modo, ſed & amplius ſe ingerente, Epiſcopus majori voce clamans, & comploſis quoque manibus expulſionem hominis præcipiens, qui aderant, omnes in admirationem convertit. At a morte Archi-Epiſcopi, cum ob craſſitiem exenterandum eſſet Epiſcopale cadaver, idem ille hiſtrio ſectoris &, ut loquitur autor, *carnificis officio functus eſt*. Ut adeo ferale illud ab hoc homine munus, præſagiviſſe videatur Archi-Epiſcopus.

s) de geſtis Friderici I. Imp. lib. c. 6.

t) ad annum 1152.

u) Recitat hunc OTTO FRISINGENSIS d. l. c. 8. ex quo repetit CÆSAR BARONIVS in Annalibus Eccleſiaſt. ſub a. 1152.

x) Centuriatores Magdeburgenſes vocant Seburgenſem.

y) Vid. *Chronicon* montis Sereni p. 203. & *Chronicon Saxonicum* in vita ejus.

z) OTTO FRISINGENSIS lib. II. c. 10. *Chronicon* mont. Sereni ad a. 1154.

a) Idem Chronicon ad a. 1157.

b) Vid. *Chronicon Saxonicum* in vita Wichmanni.

c) RADEVICVS in appendice ad Ottonem Friſingenſem de geſtis Friderici I. lib. I. c. 12. *Chronicon* mont. Ser. ad h. a.

d) Vid. RADEVICVS lib. II. c. 64. & ſequentibus, ubi prolixe de hoc concilio. *Chronicon* montis Sereni ad hunc annum.

e) Vid. literæ OTTONIS Cardinalis ad S. Thomam, quas e codice Vaticano in annales ſuos retulit BARONIVS Tom. XII. ad a. 1165. num. x.

f) Tom. XII. Annalium ad a. 1166. num. 8. Add. Chronographia NAVCLERI volum. II. generat. 39. pag. 767.

g) *Chronicon* montis Sereni ad hunc annum. MEIBOM. Chron. Bergenſe.

h) Vid. *Chronicon* Stederburgenſe Anonymi ad a. 1167. *Chronicon* montis Sereni ad a. 1166. HELMOLDVS in Chronico Slavorum lib. II. c. 7. KRANTZ. Saxon. lib. VI. c. 20.

i) *Chron.* montis Ser. ad annum 1167.

k) HELMOLDVS d. l. cap. 9. KRANTZ. d. l. cap. 22. & Vandaliæ lib. V. cap. 9. 10.

l) *Chron.* montis Sereni ad hunc annum.

m) *Chron.* Saxonicum & *Centuriatores* Magdeburgenſes in vita Wichmanni.

n) lib. I. de familiis emortuis.

o) *Centur.* Magdeb. & Hamelmann. d. l.

p) ad annum 1181.

q) ARNOLDVS, autor ſupplementi Chronicorum Helmoldi, lib. III. cap. 2. Pars genealogiæ ducum Brunſuicenſium & Luneburgenſium ex fragmento quodam vetuſto Chronici Brandenburgenſis in appendice antiquitatum Brunſuicenſium MADERI p. 272. Compilatio chronologica a laudato viro cum GERVASIO TILBERIENSI edita, ad a. 1179.

r) *Chronicon* Montis Sereni ad hunc a.

s) Idem ad a. 1177. NAVCLERVS Volum. II. generat XL. p. 775. BARONIVS Annal. Tomo XII, ad a. 1177.

t) *Chronicon* montis Sereni ad hunc a. *Autor* libelli de fundatione cœnobii Bigaugienſis. Martinus Polonus ad eundem.

u) Add. GERHARDVS Stederburgenſis de Henrico Leone. ARNOLDVS in Chronico Slavorum lib. II. c. 25. Krantz. Saxon. lib. VI. c. 39.

x) *Chronicon* montis Sereni ad a. 1193. p. 63. Confer OLEARII Halygraphiam parte II. p. 148.

y) *Chronicon* montis Sereni ad hunc annum.

z) in *Chronico* Citicenſi p. 796.

a) ad annum 1192.

§. 32.

§. 32.

Qui hunc excepit LVDOLPHVS, obſcuro loco, &, ſi Krantzio fides habenda, ruſtica proſapia natus, villam Kroppenſtedt patriam habuit. Is Pariſiis, ubi per XX annos literis operam navaverat, reverſus, a Wichmanno Archi-Epiſcopo puerorum informationi præfectus eſt. Deinceps, cum fidem & diligentiam ſuam ſatis ſuperque probaſſet, canonicatum adeptus, mox ejusdem collegii decanus, & tandem Archi-Epiſcopus creatus eſt. b) Anno MCXCIIX in conventu apud villam Arnſperg in Thuringia cum multis aliis Germaniæ principibus Philippum Sueviæ ducem Henrici imperatoris fratrem imperii tutorem declaravit, usque dum Fridericus II. Henrici filius adoleſceret. c) Huic Philippo poſtea firmiter adhæſit, Ottoni vero, Henrici Leonis filio, quem aliquot Germaniæ principes imperatorem elegerant, omnibus modis adverſatus eſt, vel auro Philippi corruptus, arci & agris Sommersbürgenſibus metuens. Sic enim perſuaſus erat, facile futurum Ottoni, ſi in imperio invaleſceret, poſtliminio repetere, quæ parenti Henrico Leoni ab æmulis erepta fuerant. d) Anno MCXCIX poſt comitia a Philippo Magdeburgi celebrata Archi-Epiſcopus multis ex equeſtri ordine diœceſios ſuæ ſtipatus cum Philippo rege Brunſuicum profectus eſt. Toto iſto itinere, quæcunque erant Ottonis cæſaris bona hæreditaria, indigna ſane Epiſcopo truculentia expugnavit, excidit, incendit.

LVDOLPHVS. (margin)

1198. (margin)

1199. (margin)

Helmſtadium inter alia in cineres redegit, Warbergum arcem funditus evertit. e) Neque hunc animum depoſuit Ludolphus, quamvis pontificiæ ſedis
1203. legatus anno præcipue MCCIII omnem lapidem moveret, ut eum ad partes Ottonis retraheret. Nam & vi efficere tentavit, quod precibus & minis non valuerat; copias ſcilicet Ottonis evocando, quæ circa Halam & Mersburgum conſidentes multum in commodarunt Archi-Epiſcopatui. Tandem *videns Cardinalis* (ita pergimus cum autore Chronici montis Sereni) *ſe contra Archi-Epiſcopum nihil proficere: cum & perſonaliter evocatum multis eum verborum contumeliis affeciſſet, inobedientiam ei exprobando & delirum ſenem appellando, quia vir erat litteratiſſimus, omnes aſſertationes ejus efficaciter evacuante, eum excommunicavit, ipſeque cum rege Coloniam rediens, cæteros ad propria quemque redire permiſit.* Anno
1204. MCCIV Philippo regi Weiſſenſeam Thuringiæ oppidum obſidenti *XXX millia expeditorum pugnato-*
1205. *rum* auxilio miſit. f) Vitam finiit anno MCCV, XVII. Kalend. Septembris, poſtquam pontifici reconciliatus abſolutionem ab anathemate impetraſſet. g) KRANZIVS h) ipſi eam attribuit laudem: *quod ſe negotiis ſecularibus retraxerit:* quem cum Centuriatoribus Magdeburgenſibus merito miramur, cum vel ex illis ſolum, quæ nos breviter attigimus, ſatis pateat, nimis ipſum fuiſſe deditum curis ſecularibus & fere præter titulum Epiſcopale habuiſſe nihil.

b) *Chro-*

b) *Chronicon* montis Sereni ad a. 1192. Krantz. Metropol. lib. VII. c. 25.

c) Vid. OTTO DE S. BLASIO in appendice ad Chronicon Ottonis Friſingenſis c. 46. *Chronicon* montis Sereni ad h. a. LEHMANNVS Chron. Spirenſis lib. V. c. 74.

d) Vid. CONRADVS URSPERGENSIS ad a. 1198. GODEFRIDVS monachus ad S. Pantaleonem in annalibus ad eundem annum.

e) GOBELINVS PERSONA ætate VI. c. 63. MEIBOMIVS de origine Helmſtadii.

f) *Chronicon* montis Sereni ad hunc annum.

g) Idem ad hunc annum.

h) ad annum 1205.

§. 33.

Poſt illum ex arbitrio Conradi Halverſtadenſis Epiſcopi electus eſt ALBERTVS, *majoris eccleſiæ Magdeburgenſibus Præpoſitus, eo tempore Coloniæ in in ſcholis conſtitutus*, quæ verba ſunt Chronici montis Sereni. i) Per integrum annum confirmationem obtinere non potuit, quo exacto Romam profectus ab ipſomet papa, quod nemini anteceſſorum contigerat, & confirmationem & una cardinalitium galerum impetravit. k) KRANTZIVS & autores Chronici Saxonici eum origine comitem de Kirchberg, MEIBOMIVS l) comitem Hallermundium fuiſſe tradunt. Anno M CC VII baſilica Magdeburgenſis ipſo die Paraſceves igne deleta eſt. m) Ex eo Archi Epiſcopum noſtrum magnificam, quæ hodienum ſuperat, Mauritianam ædem extruere cœpiſſe tradit Chronicon Saxonicum. Eodem anno Engelhardum Numburgenſem Epiſcopum conſecravit. n) Primo quidem Philippo regi adhæſit, hoc vero interemto grati-

ALBERTVS.

1207.

am Ottonis ambiens haut difficulter conſecutus eſt.
1208. Cumque anno M CC VIII Otto de multiplicibus injuriis per bella civilia acceptis vindicandis, nonnullisque principium caſtigandis cogitaret, Albertus & Bernhardus Saxoniæ dux precibus ſuis a propoſito eum revocarunt, & alia prudentiæ fideique plena dedere conſilia. E veſtigio igitur ſuaſu laudatorum principum conventum indixit Halberſtadii, in quo una omnium voce ac voto Cæſar declaratus eſt. o) An.
1209. M CC IX eidem ſacrum pentecoſtes feſtum in Brunſuicenſi urbe celebranti adfuit. Inter hæc ſolennia faciles aditus & commoda tempora fandi obſervans, Cæſare gaudio elato, occaſionem rapuit, & ſibi ſuisque ſuffraganeis impetravit, ne ab illorum exceſſu quicquam amplius bonorum imperiali fiſco cederet, (quod jus hactenus in antitiſtitum vita nuper defunctorum bonis uſurpaverant imperatores, ut pluribus docet H. MEIBOMIVS in peculiari de eo jure diſſertatione) ſed omnia eccleſiæ manerent. Diploma ex MS. quodam depromtum exhibet Meibomius p) ex quo præcipua huc ſpectantia recitabimus: *Cum igitur ex antiqua & antiquata conſuetudine omnium Epiſcoporum decedentium, qui de jurisdictione ſunt imperii, in quibuscunque reditibus reliquiæ fiſco cedere debeant imperiali: ob ſinceram dilectionem memorati Archi-Epiſcopi ejusque perſonæ reverentiam, ſucceſſoribus, dummodo a præſenti toga carnis exeunt, & omnium ſuffraganeorum ſuorum ſucceſſoribus, in perpetuum concedimus,*

mus, ut omnes proventus Epiſcopales, qui defunctis Epiſcopis imperio cedere conſueverunt, deinceps ad uſus ipſorum colligatur, & collecta reſerventur, ſtatuentes, ut ſi decedentes Epiſcopi aliquibus debitis fuerint innodati, ea exinde perſolvantur: per hoc tamen ſpeciale gratiæ noſtræ donum Magdeburgenſem eccleſiam omnesque ejus ſuffraganeas eccleſias, cum omnibus earum familiis, occaſione memorati Archi-Epiſcopi volentes eſſe ſpecialibus honoratas. Poſt hæc Otto in Italiam iter parans Albertum & alios plures Epiſcopos, principes & abbates ſibi comites adſcivit, *ut ipſis cooperantibus honorifice cum gloria & honore Teutonicorum imperialem perciperet benedictionem.* p) Sed qui hactenus inter familiares amicos fuerat Ottonis, mox inter juratos ejusdem hoſtes repertus, & ob id ab eodem proſcriptus eſt. Poſtquam enim Ottonem diris devoviſſet Papa, Albertus tyrannidis hujus executor conſtitutus, Imperatorem deleta ex animo antiqua gratia, quibus potuit modis, neque tamen ſine maximo ſuo damno, oppugnatum ivit. Teſtem producemus auctorem Chronici montis Sereni, qui de eo ita: q) *Albertus Archi-Epiſcopus Apoſtolicæ ſedis legatus imperatorem crebro excommunicatum denunciabat, & ne quis eum imperatorem appellaret, ſub pœna excommunicationis prohibebat. Nec vero imperator ei parcebat, omnia quæ illius & ſuorum erant, quantum poterat devaſtando, quamvis & ipſe nonnunquam ex parte Epiſcopi damni aliquid pateretur. Tanta*

au-

autem fuit & hujus in denunciando, & illius in devaſtando conſtantia, ut recte quidam dixiſſe laudetur: quod Epiſcopatus Magdeburgenſis ab Ottone imperatore & Alberto Archiepiſcopo conſtructus ab Ottone imperatore & Alberto Archiepiſcopo deſtrueretur. Æquivoci enim erant conſtructores & deſtructores: licet Archiepiſcopus non aliunde deſtructor fuerit, niſi quod occaſionem præbuit deſtruendi. Aliquando imperatori vicinas terras devaſtanti cum parva manu auſus eſt reſiſtere, ſed infelici ſucceſſu. Imperator enim cognito hoſtium adventu, in ſpeciem fugæ ceſſit, ut illos inſequentes longius ab urbe protraheret. Deinde cum impetu in eos ſigna convertens omnes in fugam conjecit, trecentis fere captis, quos Archi Epiſcopus multo ære opus
1213. habuit redimere. r) Anno M CC XIII latrociniis
Waltheri comitis Barbienſis & Friderici atque Guili-
elmi de Ammensleben obicem poſuit, arcem Uns-
burg, ex qua illi plurimum damni dabant, demolitus
1220. eſt, ipſosque captivos duxit. s) Anno M CC XX ca-
ſtrum **Lucben** contra Tidericum marchionem extru-
xit. t) Vocat id M. ZACH. THEOBALDVS u)
Thauscam, annoque M CCCC XXXII a Thaboritis
1224. exuſtum & funditus everſum ſcribit. Anno MCCXXIV
opidum *Haldisleve* a ſubditis Archi-Epiſcopi re-
ſtauratum eſt, ipſo in partibus Lombardiæ in impe-
ratoris miniſterio jam per triennium occupato. x)
1227. Anno M CC XXVII interfuit concilio Aquisgrani ob
expeditionem Hieroſolymitanam habito. y) Anno
1228. M CC XXIIX cum Otto Luneburgicus ab Henrico

Sueri-

Suerinenſi comite captivus detineretur, Albertus noſter & Fridericus Halberſtadenſis Epiſcopus, Ottonis vaſallos, quos ætas iſta *miniſteriales* vocabat, ad rebellionem impulerunt. Non ſine cauſa tum percrebuit rumor, Epiſcopos ad hoc inſtigatos eſſe a Friderico II Imp. propter occupatam Brunſvvicum Ottoni infenſum. Johannes & Otto marchiones Brandenburgenſes Lüneburgii affines comperto hoc tumultu cum inſtructo exercitu Brunſvvicum advolarunt, & compreſſis paulum motibus Epiſcopos horum incentores bello infeſtarunt. z) Obiiſſe dicitur Albertus anno MCCXXXIV. 1234.

i) ARNOLDVS Chron. Slavorum lib. VI. c. 4. *Centuriat.* Magdeburg.
k) in Apologia pro Ottone IV. Imp. p. 350. & in Chron. Bergenſi p. 23.
l) *Chronicon* montis Sereni ad hunc annum.
m) idem ad hunc annum.
n) ARNOLDVS lib. VII. c. 15.
o) in laudata Apologia p. 353.
p) *ARNOLDVS* lib. VII. c. 20. *KRANTZ.* Saxon lib. VII. c. 31.
q) ad an 1112. p. 103. add. *Martinus* Polonus ad eundem annum.
r) *Chronicon* montis Sereni ad hunc annum.
s) *Chronicon* Saxonicum & Centuriatores *Magdeburgenſes*.
t) *Chronicon* montis Sereni ad hunc annum.
u) de bello Huſſitico, p. 78.
x) *Chronicon* montis Sereni ad hunc annum, p. 169.
y) *NAVCLERVS* Chronographiæ volum. II generat. 41.
z) Adi Albertum Stadenſem ad hunc annum. Krantzium Saxon. lib. VIII. c. 4.

§. 34.

BVRCHARDVS. Succeſſor poſtea ei datus eſt BVRCHARDVS eccleſiæ Hildeſienſis Præpoſitus, qui tamen ante inaugurationem deceſſit a) anno MCCXXXVII.
1237.

a) *WERNERVS* in Chronico Magdeburg.

§. 35.

WILBRANDVS. Locum illius impetravit WILLEBRANDVS ſive HILDEBRANDVS, militari genere natus. b) Chronicon Saxonicum eum comitem de Kirchberg Alberti Archi-Epiſcopi fratrem fuiſſe aſſerit. Hic quod in lite quadam inter Johannem marchionem Brandenburgenſem & Henricum Landgravium de Coppernico & Mittevvalda, cujus datus erat arbiter, minus juſte rem egiſſe viſus fuerat Johanni, bello ab eodem & fratre Ottone petitus eſt. Willibrandus auxilio Ludolphi Halberſtadenſis Epiſcopi fretus marchionibus ſe oppoſuit, verum bis fugatus & ingentem cladem paſſus pacem expetiit, & facile quoque impetravit, duobus tamen militibus ad monomachiam litis tollendæ ergo admiſſis. c) Diſſidium, quod inter ipſum & metropolin fuit, civibus male ceſſit, quippe quorum domus combuſtæ & direptæ ſunt. d) Tradunt autores Chronici Saxonici, eum *Kroſigk*, *Lebuſs*, & *Biliz* ſuæ adjeciſſe diœceſi, quod confirmant Centuriatores Mageburgenſes. Mundana reliquit
1253. anno MCCLIII.

Addit. *Huc refer ea, quæ de oblatione Marchiæ Brandenburgicæ, tempore Wilbrandi amiſſa, dixi in P. II. Singul. Magdeb. p. 51.*

b)

b) Ita habet Krantz. *Metropol.* lib. VII. c. 53. & Centuriatores *Magdeburgenſes.*

c) Vid. Krantz. Vandaliæ lib. VII. c. 33. & Saxon. IIX. c. 20. juncto Chronico Saxonico.

d) Oſiander in Hiſtor. Eccleſiaſtica ad an. 1233.

§. 36.

Ex eo RVDOLPHVS de Dingelſtedt electus eſt Archi-Epiſcopus. De eo nihil notatu dignum reperimus, præterquam quod comitatum Alvenslebienſem a Ludolpho Halberſtadenſi Epiſcopo emerit. e) Matura enim & ſubitanea morte ad menſam ſedens extinctus eſt anno MCCLX, III Calendas Maji. f) *RVDOLPHVS.* 1260.

Addit. *de acquiſitione caſtri & præfecturæ Alvensleben vide plura in P. III. Singul. Magdeb.*

e) *KRANTZ. Metropolis* lib. VIII. c. II. *HAMELMANN.* de familiis emortuis.

f) *WERNERVS* in vita ejus.

§. 37.

Huic ſucceſſit ejusdem eccleſiæ decanus RVPERTVS ex dynaſtis Querfortenſibus. Secundum computum Hamelmanni primo Epiſcopatus ſui anno Sorbicenſem ad Salam comitatum eccleſiæ ſuæ adjunxit g) ſequenti anno Romæ cum aliis tribus Metropolitanis, Moguntino videlicet Trevirenſi & Bremenſi ab Alexandro IV pontifice conſecratus eſt. h) Inde reverſus ut crumenam per redemtionem pallii evacuatam repleret, Judæos in ſua diœceſi commorantes omnes captos inſigni ære multavit. Centena millia marca- *RVPERTVS.*

rum (alii ſexcenta millia volunt) dicitur abſtuliſſe illis prӕter aurum & argentum aliasque res precioſas. Cumque Hallenſes cauſam illorum, qui ibidem degebant, agere auderent, Archi-Epiſcopus urbe obſeſſӕ & a Judӕis & ab Hallenſibus non mediocrem pecuniӕ vim extorſit. i) *Hoc erat raptorem agere non Epiſcopum*, cum OSIANDRO k) hic merito exclamamus.

1268. Mortuus eſt anno MCCLXIIX.

g) *KRANTZ.* de lib. c. 23.

h) *SIFFRIDUS* Presbyter ad hunc annum.

i) *KRANTZ.* d. l. juncto Chronico Saxonico.

k) in Hiſtoria Eccleſiaſt. ad a. 1260.

§. 38.

CONRADUS. Eum excepit CONRADUS, ex ſtirpe comitum de Sternberg, Bohemia natus, qui anteceſſoris cancellarius fuerat. l) Hic zelo quodam Chriſtianӕ religionis Judӕis admodum infenſus fuit, cujus judicium de Judӕo in latrinam merſo ita narrat Krantzius. m) *Judӕus die Sabbati incidiſſe fertur latrinam, unde ſe non poſſet eximere. Implorat miſerabiliter opem ſociorum. Accurerant & querula voce teſtati eſſe Sabbatum, non licere illis opere manuum exerceri, ſervaret patientiam in diem poſterum, quam primum liceret operari educendum. Innotuit res pontifici, quod pertinaces Judӕi in ſabbato ſuo obſervando fratrem latrina non educerent, mandavit ſub pœna capitis, ut qui ſabbathum ſuum pertinaciter obſervarent, ſabbathum quoque Chriſtianorum, diem proximam, eadem celebritate ſervarent. Quid facerent? imminebat pœna capitis,*

ſpiris, parendum fuit. Sedebat interim Judæus in pedore & periculo duobus diebus ac noctibus, ut pertinaciam ſuam agnoſcerent improbi homines, qui occidentem literam ſequuntur & illi pertinaciter inhærent, non ferentes de facie Moſi tolli velamen, ut quid ſubtus ſit, inſpiciant. Gemina memorant *Centuriatores* Magdeburgenſes, SEB. MVNSTERVS, n) GABRIEL BVCELINVS o) & alii. FABRICIVS vero p) & OLEARIVS q) eam Erneſti Archi-Epiſcopi temporibus contigiſſe ſcribunt. Anno MCCLXXVI bellum geſſit cum Alberto Thuringiæ Landgravio cujus hiſtoriam, cum nimis confuſe a SIFFRIDO r) PAVLLO LANGIO s) & AVTORE de Landgraviis Thuringiæ t) tradatur, ex appendice MSta Martini Poloni u) recenſebimus: *Epiſcopus Meydeburgenſis cum fratre ſuo marchione de Brandinburgk Thuringiam intraverunt, quos Albertus Landgravius turpiter fugavit de terra, propter quam confuſionem Epiſcopus ſe in dolo compoſuit, cum Landgravio dicens ſe velle eſſe magnum amicum. Et poſtea aliquibus annis tranſactis, vocatis Theoderico marchione Landisburgenſi & Friderico filio ſuo ad obſidionem caſtri unius, & nocturno tempore irruens ſuper eos adhuc in tentoriis & lectis ſuis jacentibus, bona fide & amicitia eos ceperunt cum multis comitibus & nobilibus de Thuringia & de terra orientali Saxonum, numero plus quam ducentis, & Fridericus filius ejus detentus eſt in caſtro Cuppen & nocturno tempore fortunaliter liberatus receſſit & quidam de ſuis cum eo.* In cujus narrationis exordio 1276.

id tamen notandum, quod bellum hoc non noſtro ſed ſucceſſori Archi Epiſcopo tribuat: ut adeo vel ipſe, vel quos jamjam adduxi, omnes in præcipua circumſtantiarum fallantur. Deceſſit Archi-Epiſcopus
1278. anno M C C LXXIIX. x)

l) *KRANTZ.* d. l. c. 33. *MALLINCROTIUS* de Cancellariis &c. c. VI, p. 207.

m) c. l.

n) Coſmographiæ univerſalis lib. III. p. 718.

o) in Germania Sacra.

p) Originum Saxon. lib. VII. p. 795.

q) Halygraphiæ parte II. p. 214.

r) ad annum 1275.

s) Chron. Citiz. p. 813.

t) c 70. p. 931.

u) ad annum 1276.

x) *p. LANGIUS* in Chron. Citiz. p. 814.

§. 39.

GUNTHERUS. Poſt Conradi obitum per diſſentientia ſuffragia delecti ſunt Ericus marchio Brandenburgenſis, Præpoſitus & Buſſo comes a Querfort, Canonicus. Cumque uterque acriter inhiaret dignitati Archi-Epiſcopali, ingens inde enatum eſt bellum, quod intercedentibus aliis ita demum eſt compoſitum, ut uterque accepta in compenſationem damnorum certa pecunia ſumma ſponte ſua cederet. Sic igitur GUNTHERUS comes de Schvvalenberg in id faſtigium evectus eſt. Cæterum brevi poſt Johannes & Otto marchiones Brandenburgenſes contumeliam, quam per

per id fratri Erico illatam putabant, ulturi bellum renovarunt adverſus Guntherum, qui ſtatim accepto vexillo Mauritii cum magna manu civium ſuorum marchionibus obviam contendit. Prælio juxta Froſam commiſſo Otto marchio captus Magdeburgum abductus ſeptem millibus (Centuriatores Magdeburgenſes habent quatuor mil, ia) marcarum ſe redimere coactus eſt. Guntherus vero, marchionibus denuo litem moventibus, quietis amantior ſponte ſeſe abdicavit, cum vix uno anno Epiſcopatum adminiſtraſſet. y)

y) Vid. *Chronicon* Saxonicum. *KRANTZ*. Metropolis lib. VIII. c. 38. Saxon. lib. IIX. c. 32. Vandaliæ lib. VII. c. 37. ubi tamen falſo ſalutatur comes de Schvvartzburg.

§. 40.

Surrogatus in locum ejus BERNHARDVS comes de Welp ab iisdem competitoribus multum fuit exagitatus. Suppetias ipſi tulerunt Otto Hildesheimenſis Epiſcopus & Albertus marchio Brandenburgenſis, Erici patruelis. Horum ope ditiones Alberti ducis Brunſvicenſis qui Erici partibus favebat, ferro & flamma depopulatus eſt, verum non ſine magno damno pedem retulit, multis ſuorum captis, pluribus etiam occiſis. Wolmerſtedtum præterea marchionibus extorſit. Obiit MCCLXXXII poſtquam biennio præfuiſſet. z)

BERNHARDVS.

1282.

z) *Chronicon* Saxonicum. *KRANTZ*. in Saxon. & Vandalia dictis locis. *Centuriatores* Magdeburgenſes.

§. 41.

§. 41.

ERICUS. Sic igitur, ut finis tandem fieret motuum, regimen Archi-Epiſcopale a Canonicorum collegio delatum eſt ERICO, frendentibus admodum civibus, quibus maxime inviſus erat, eo quod per proxima bella ipſos non parum afflixerat. Vix urbem intraverat Archi-Epiſcopus, & illico in eum inſurrexere cives, ita ut jam circumventus per cloacam ſe demittens in cymba Wolmirſtadium vix aufugerit. Poſtea tamen illos humanitate & beneficentia ſibi plurimum conciliavit. a) Cujus rei fructum expertus eſt, cum
1284. anno M CC LXXXIV Herlingsbergam contra Henricum Moroſum ducem Brunſv. profectus infeliciter rem gerens ab eodem caperetur. Etenim nec fratres nec Canonici de liberando illo multum fuere ſoliciti, ſoli *cives ære viritim comportato, quingentis illum argenti marcis redemerunt*, ut habent verba KRANTZII. b) Eadem fere fortuna uſus eſt in obſidione arcis Neo-Gaterslebienſis. Nam cum durante ea cum ducibus ſuis Calbam conceſſiſſet, opidani eruptionem facientes multos in urbem adduxerunt captivos, quos ut redimeret Ericus, Marchiam Luſatiæ pignori opponere coactus
1290. eſt. c) Anno M CC XC comitiis Erfurti celebratis
1291. interfuit. d) Anno M CC XCI novæ obſidioni & ſecutæ everſioni Herlingbergæ adfuit cum ſuis civibus. e) Anno M CC XCIV Albertus III Dux & Elector Saxoniæ Burggraviatum Magdeburgenſem, cui præfecti fuerant Saxoniæ duces longa ſerie, civitati Magde-

Magdeburgenſi vendidit 900, vel ut Brotufius alicubi invenit, teſte Limnæo, f) 9000 marcis argenti. Iſtud vero a civitate ad Capitulum translatum eſt ea conditione, ne ulli unquam a Capitulo conferretur, niſi accedente civitatis conſenſu. g) Quantum juris per hanc venditionem tranſierit ad Archi-Epiſcopos, prolixe diſputavit laudatus Leuberus. h) Ex his terris migravit anno M CC XCV. i) 1295.

Addit. *Si de venditione Burggraviatus hic ſermo eſt, notari meretur, quid venditum ſit. Non enim ipſa bona, ſed ſolam jurisdictionem conceſſere Saxones. Ergo quicquid opponit* THORSCHMIDIVS *in annal. Plocenſibus, inane eſt. Rem ipſam probant diplomata, quæ etſi authentica non poſſunt produci propter injuriam temporum: tamen quia vetuſta ſunt & in antiquis libris*, repertoria *vocant*, *aſſervantur*, *ipſum quoque* Chron. *Scabin. Magdeb. ea habet: non poteſt de fide eorum dubitari. Bona ſane ipſa Burggraviatus hodieque poſſident Saxones: jurisdictionem Magdeburgenſes, eoque nomine Rex Pruſſiæ. Conf.* Monumentum *meum Magdeb. p.* 27.

a) *KRANTZ*. Vandal. lib. VII. c. 38. *Metropolis* lib. IIX. cap. 41.

b) Vandal. d. l. Conferatur Metropolis d. l. *J. H. MEIBOMIVS* in not. ad Herlingsbergam Henrici Goslæ, num. 88. & 114.

c) *KRANTZ*. Metropol. & Vandal. dictis locis.

d) *Continuator* Lamberti Schaffnaburgenſis ad h. a. KRANTZ. Saxon. lib. IIX. c. 36.

e) Vid. *J. H. MEIBOM*. in modo allegatis notis p. 22.

f) Juris publici lib. VII. c. 31. n. 4.

g) Vid. *Chron.* Saxonicum, RITTERI Coſmograph. metr. lib. IV. p. 593. & 596. *AVTOR* Diſcurſus von den Reichs-Vogteien/ p. 127. 128

h) In de ſtapula Saxonica num. 106. & ſequ.

i) *P. LANGIVS* Chron. Citiz. p. 819.

§. 42.

BVRCHARDVS II. Exin ad thronum Archi-Epiſcopalem ſublatus eſt BVRCHARDVS, comes de Blankenburg, qui a Bonifacio IIX papa confirmatus & pallio ornatus fuit. k) Civibus ſuis fuit chariſſimus; unde cum nocte quadam vaſalli ejus, quod ipſorum poſtulatis non ſatisfeciſſet, irruptione facta capere illum conarentur, maſcule ipſum tutati ſunt. l)
1296. Anno MCCXCVI coronationi regis Bohemiæ Wenzeslai Pragæ factæ
1304. interfuit. m) Vita functus eſt anno MCCCIV. n)

k) idem ibidem.

l) *KRANTZ.* Metropol. lib. IIX. c. 48.

m) *Continuator* Martini Poloni ad hunc annum.

n) *P. LANGIVS* d. l. p. 822.

§. 43.

HENRICVS II. Succeſſorem accepit HENRICVM comitem de Anhalt, virum acri quidem ingenio præditum, ſed qui in latina lingua adeo hoſpes fuit, ut Pontifici, num orationem dominicam teneret, interroganti, ne verbulum quidem reſpondere potuerit, o) unde biennio demum exacto pallium cum confirmatione ade-
1307. ptus eſt. Anno MCCCVII opidum Schönebeck ſingulari ſtratagemate, occultando nempe curribus mili-

militeſ, occupavit & diripuit. Eodem anno tumultum contra illum concivere Magdeburgenſes, in quo parum abfuit, quin oppreſſus eſſet; eidem etiam haut diu ſuperfuit, nam & hoc ipſo anno mortuus eſt.

o) *OLEARIVS* Halygraph. parte II. p. 157.

§. 44.

Poſtea BVRCHARDVS comes de Schrapelau p) Archi-Epiſcopatum indeptus eſt, vir KRANTZII q) judicio *ſobrius, pius, caſtus, fortis, prudens & qui jura ſuæ eccleſiæ magno ſemper labore tueretur. Et hoc quidem ipſi interitum acceleravit.* Anno MCCCIX Magdeburgenſibus licentiam libere exportandi frumentum conceſſit, non autem jus ſtapulæ, quod contra Johannem Borcholten LEVBERVS. r) Verba conceſſionis vel Receſſus ipſa, quoniam fundamentum ſunt iſtius tunc temporis inter Borcholtum & Leuberum agitatæ controverſiæ ex vetuſto documento s) aſcribemus: Echt um dat Korn, dat man de Elve nedderſchepende, dar wie (Burchardus) Geld uffnahmen von Borgern un den Geſten, is gedebinget, dat wy daraff keen Geld nehmen ſellen, un dat dat fort alſo ſtan ſel, dat man das Korn fahren ſcholl diwile man es im Lande entbeeren mag. Wen aver uns un den Borgern das bedonckt, dat dat Noth ſy, dat man dat verbode, ſo ſchall dat met unſer beede Willen geſchehen, un unſer nen erloven daferne an den andern. Ock ſchall de Schepninge des Korns nirgende ſyn, weder baven der Stadt, noch benedden

BVRCHARDVS III.

3091.

der Stadt, van unſer heit un Willen ſondern tho der Alter Stadt.

Addit. *Communis error eſt, conceſſionem ita dictam Burchardi AEpi fundamentum eſſe controverſiæ de ſtapula Magdeburgica, quamvis Leuberus id forte ita venditaverit.*

Idem Leuberus num. 1690. ipſe fatetur, Magdeburgenſes aliis & pluribus fundamentis uti. Et ſic ſe res habet. Erroneum etiam eſt, Burchardum hoc jus per allegatum documentum conceſſiſſe. Pactum illud potius eſt, quam conceſſio vel privilegium, non de jure ſtapulæ, ſed jure navigationis & evehendi frumentum ex Archiepiſcopatu, firmat non concedit jus ſtapulæ, quod plus in ſe continet, quam jus evehendi frumentum. Atque hinc patet cl. autoris aſſertionem, dum pro Leubero militat, a vero recedere.

Non multo poſt diſcordia inter ipſum & cives enata, unde fœdera & conſpirationes contra eum factæ, quæ ita invaluerunt, ut Archi-Epiſcopus urbe cedere com-
1314. pelleretur. Anno igitur MCCCXIV illam obſidione cinxit, adjutus copiis marchionis Miſnenſis & ducis Brunſuicenſis. Verum cives obſidionem flocci pendentes ne portas quidem clauſere, imo ipſis obſeſſoribus cibaria juſto precio vendidere. Poſtmodum Waldemarus Elector Brandenburgenſis per transactionem litem inter Epiſcopum & civitatem hac conditione compoſuit, ut Burchardus arces noviter extructas de-

demoliretur, nec ipſe aut ejus ſucceſſores ullam conderent, quæ intra II. milliarium ambitum urbi vicina eſſet. Anno MCCCXV cum Arci-Epiſcopus contra datam 1315.
fidem (quod cauſabantur cives) nonnulla admitteret, captus, in curia per integrum fere menſem in cuſtodia habitus, nec niſi præſtito juramento novo dimiſſus eſt. Mox a jure jurando per Johannem XXIII papam abſolutus per banni interminationem mille marcas extorſit civibus, quibus ſolutis nihilominus perſtitit in propoſito, ita ut ad avertenda majora mala aliquot ſenatores Romam ablegare cogerentur. Anno M CCC XIIX 1318.
exorta in urbe annonæ caritate, commeatus invectionem inhibuit, unde denuo Magdeburgenſes trecentas marcas ſolvere neceſſum habebant. Eodem anno deſtruxit arcem Mühlingen, quam paulo poſt reſtauravit comes Barbienſis, Albertus, auxilio Magdeburgenſium. t) Anno M CCC XXV Magdeburgenſes, 1325.
Halenſes, & comites Mansfeldenſes de eo capiendo conſilium inierunt. Ubi ergo aliquando Magdeburgum veniſſet, ex ſua aula in curiam abductus & carceri fuit mancipatus. *A die nati Johannis ad feſtum usque Matthæi ſedebat in tenebris lucerna lucens. Jam conſilium parricidæ firmaverunt. Eliguntur viri quatuordecim de Magdeburg octo, de Hallis quatuor, de Calvis duo, veſte per omnia ſimili, & larvis induuntur, ut etiam inter ſeſe noſſe non poſſent, quis eſſet quisque. Clavas manibus præferentes irruunt in carcerem, clamoribus teſtati nequitiæ ebrietatem. Vinctum pontificem, ludibundi chorizantium more cir-*

tuiverunt: & ut in tenebris poterant, clavis ſæpe innoxiis jacentem tetigerunt. Jam vertigine in errorem acta, ut internoſci, quis cæderet, non poſſet, unus ex his clava ferit caput pontificis: nec opus fuit ictum iterare, vertiginem tamen continuarunt, donec mortuum eſſe non dubitarent. Egreſſi ponunt larvas, nec inter eos, quis necem peregiſſet, ſciebatur, niſi quod omnes æque noxii & eſſent, & haberi voluerunt, qui uno conſilio graviſſimum parricidium & atrociſſimum facinus peregerunt. Ita KRANTZIVS, u) cujus verbis hæc diſcribere maluimus, quam iis, quæ autores Chronici Saxonici de morte illius narrant, incruſtare. Corpus Archi-Epiſcopi per integrum fere annum in carcere jacuit inſepultum, tam diu enim cædes iſta fuit occultata. Hac autem detecta civitas per imperatorium decretum fuit proſcripta, qua tamen ipſam exſolvit imperator Ludovicus Bavarus, ob ſimultates quæ intercedebant ei cum Pontifice Romano. x) Circumfertur ſequens ejus epitaphium pro barbarie illius ævi argutum a Meibomio in Chronico Bergenſi y) repetitum.

Hic jacet omnis homo, quicquid virtutis in illo
Particulare fuit, hoc ſimul omnis erat.

Sed & aliud ſepulcro ejus additum legimus ita habens:

Burchardus gratus in domino jacet hic tumulatus,
De Scrapelau natus pro jure tuendo necatus.

Addit.

Addit. *Licet miſerabilis Burchardi cædes ſummam Magdeburgenſibus concitaverit invidiam, Crantziusque civibus admodum infeſtus videatur: multa tamen ſunt, quæ pro Senatu civibusque poſſunt in medium afferri.*

p) Hic comitatus poſtea temporis comitibus Mansfeldenſibus oppignoratus eſt teſte *GRYPHIANDRO* de Weichbildis cap. 53. num. 17.

q) Vandaliæ lib. IIX. c. 13.

r) in tr. de ſtapulæ Saxonica num. 121. ſequ. 279. ſequ. 1697. ſequ.

s) Habetur in eodem tractatu num. 1703.

t) HAMELMANNVS de familiis emortuis.

u) Vandaliæ lib. IIX. cap. 13.

x) Vid. de hactenus dictis KRANTZ. Metropol. lib. IX. cap. 4. Vandaliæ lib. IIX. cap. 12. & 13. *Chronicon* Saxonicum. *RITTERVS* in Cosmographia metrica lib. IV. p. 593.

y) p. 34.

§. 41.

Deinceps canonici Magdeburgenſes Archi-Epiſcopum elegerunt decanum ſuum HEIDECCVM (aliis Heidenricum) de Erpeden, juris canonici doctorem. Hic cum iter faceret Romam, petiturus confirmationem Pontificiam, captus & in vincula compactus eſt: nulli non enim tunc temporis execrabilis erat clerus Magdeburgenſis, quod furori civium non ſatis reſtitiſſe crederentur. Heideccus vero poſtea dimiſſus Iſenaci diem clauſit extremum. z) De hoc ipſo agere videtur appendix MSt. ad Chronicon Martini HEIDECCVS.

tini Poloni, ad annum MCCCXXIV. *Wentzlaus,* inquit, *de Buchinawe & Otto de Stotternheym cum eorum complicibus cupiditate ſacrilega capti quendam fratrem minorem electum in Archi-Epiſcopum Meydeburgenſem in ſtrata publica ſpoliantes captivum abduxerunt, in Brandinfels detinuerunt per annum & dimidium, & ibi moriebatur. Sepultus apud fratres minores in Yſenach.*

z) *KRANTZ.* Metropol. lib. IX c. 14. *Chron.* Saxonicum, p. 328.

§. 46.

OTTO. Exin eligebatur Henricus comes de Stolberg: verum Johannes papa Avenione, ubi ea tempeſtate ſedem habebat ſuam, jam tum contulerat honorem illum OTTONI Haſſiæ Landgravio, a parentibus illius ſibi commendato. Hoc ergo Magdeburgum adveniente Henricus cedere coactus eſt. Civium favorem & benevolentiam meruit, quando interceſſione ſua effecit, ut pontifex civitatem excommunicationis nexu, quo hactenus ligata fuerat, ſolveret: &
1334. hinc etiam anno M CCC XXXIV homagium eidem præſtitere. Anno M CCC XXXIV arcem Wolmirſtet ab Ottone duce Brunſuicenſi occupatam recuperavit. a) Anno M CCC XL in cauſa Aſcanienſi inter Bernhardum III Anhaltinum & Epiſcopum ac eccleſiam Halberſtadenſem electus eſt ſupremus arbiter; laudum quoque quod liti finem imponeret, pronunciavit. b) Anno M CCC XLVII caſtra *Rideborg*
1347. *& Schrapelow* marchioni Miſnenſi, c) Scheningam duci

duci Brunſuicenſi extorſit. Circa hæc tempora Ludovicum electorem Brandenburgenſem inſtinctu, ut creditur, Caroli IV valde exagitavit **Jäckel Rehbock**, Waldemarum electorem Brandenburgenſem, ante complures annos demortuum, cujus nomen Brandenburgenſibus gratiſſimum erat, mentitus, tantoque vulgi favore exceptus, ut multa ipſi dederentur caſtella. Partes illius inter alios quoque tutatus eſt Otto noſter, cumque Ludovicus in defenſionem ſui arma caperet, cum Pſeudo-Waldemaro & cæteris ejus propugnatoribus *cum magna potentia terram* (Ludovici) *ingreditur, ac incendiis & prædis undique moleſtant ac ipſum Ludowicum obſident in Francenfurtt ſpectantem ad Marchionatum*, quæ ſunt verba HENRICI REBDORFFIENSIS. d) Doli hujus, ut videtur, optime fuit conſcius. Sic enim colligimus ex AVTORE hiſtoriæ de Landgraviis Thuringiæ e) qui ita ſcribit: *Eodem anno dux Saxoniæ & Epiſcopus Magdeburgenſis, & alii nobiles in Saxonia creaverunt unum Marchionem, Brandenburgenſem, ſcilicet unum molendinarium; dicentes ipſum eſſe Woldemarum marchionem, qui ante XXV annos veridice mortuus fuit. Et hoc fecerunt in præjudicium Luduici filii imperatoris a patre ibidem dato pro marchione: & poſtea inventum fuit, eſſe deceptionem magnam. Quia illi, qui hoc fecerunt & confinxerunt, terram Marchiæ inter ſe dividere jure hæreditario voluerunt. Quod advertentes oppidani, & dominum terræ illum fictum expulerunt, & verum ſuum dominum ſcilicet Ludovi-*

eum cum fratribus ſuis filiis imperatoris reaſſumſerunt. Tandem anno MCCCLI Otto Archi-Epiſcopus & Saxoniæ dux, intercedente Carolo rege, pacem fecerunt cum Ludovico marchione, acceptis pro liberatione Arneſti Palatini ducis de Bavaria XVII marcarum millibus. e) Hoc tempore civibus Magdeburgenſibus lis erat cum nobilitate Archi-Epiſcopalis diœceſios. Hinc fœdere ſibi jungebant vicinas urbes, Goslariam, Brunſvvigam, Quedlinburgum, Halberſtadium, Aſcherslebium & Halam, ut ita in apertum bellum res erumperet, quod per triennium magno utriusque partis damno geſtum eſt, donec intervenientibus ducibus Brunſuicenſibus componeretur, omnesque inter ſe in gratiam redirent. Anno MCCCLII ad diœceſin Magdeburgenſem pervenit comitatus Aldenhuſanus ad quem pertinuit arx Oſterburg, teſte HAMELMANNO. Morbo, quo per IX menſes
1361. conflictatus erat, anno MCCCLXI conſumtus, inque Cathedrali templo Magdeburgenſi ſepultus eſt. f)

Addit. *De modo dicto bello Magdeburgico vid. P. IV. Singul. Magdeb. p. 12. ſequ.*

a) KRANTZ. Metropol. lib. IX cap. 14. Chron. Sax. in vita ejus.

b) SAGITTAR. in hiſt. Halberſtadenſi, p. 67.

c) OLEAR. Halygraphiæ parte II, p. 161.

d) in annalibus ad annum 1348. p. 444. add. KRANTZ. Vandal. lib. IIX. cap. 22.

e) cap. 102. Extat hoc ſcriptum in tomo uno illuſtrium veterum ſcriptorum, qui rerum a Germanis geſtarum hiſtorias vel annales poſteris reliquerunt.

f) P. LANGIUS in Chronico Citiz. p. 840. juncto Chron. Saxonico.

§. 47.

§. 47.

Hinc poſt habita canonicorum Ludovici Halberſtadenſis Miſniæ marchonis electione Innocentius VI papa exigente hoc Carolo IV imperatore Archi-Epiſcopum conſtituit THEODORICVM Miſnenſem Epiſcopum. Is e Stendalia veteris marchiæ metropoli oriundus patrem habuit textorem lanificum cognomento Kagelwitt, ſive ut legitur in Chronico Mindenſi a Meibomio edito Kagelhyrt. Neque enim id cognominis primum a Bohemis inditum eſt noſtro, eo quod larga toga indutus inceſſerit, prout ſcribunt autores Chronici Saxonici. Viſitur hodienum Stendaliæ in pannificum collegio parvæ ſed artificioſiſſimæ ſtructuræ altare, quod Theodoricus ad id honoris culmen ſublatus in ſui memoriam ibidem extruendum curavit. Monachum primo egit in cœnobio quodam Ciſtercicenſis ordinis Lenin dicto, quod inter campeſtria Marchiæ cœnobia referunt A. ANGELVS, g) N. LEVTHINGERVS. h) Inde a Carolo IV. qui hominem gerendis rebus aptum natum cernebat, evocatus, arcis cujusdam præfectus conſtitutus eſt. Huic cum præeſſet muneri, ſuam in conſiliis vel ex arena capiendis promtitudinem cæſari aliquando probatam dedit facto ſatis lepido, quod KRANTZII verbis i) enumerare placet: *Tranſiens e vicino rex experiri conſtituit, quid faceret ille arcis ſuæ præfectus, & ſi ex tempore conſulere poſſet neceſſitati. Nihil ante præmonito ſupervenit cum regio co-*

THEODORICVS.

mitatu: jubet apparare menſam. Ille ſubitum accepit conſilium. Mittit qui ad proximam villam cogant omnes ſues, quarum aures caudasque præciſas jubebat introferri. Parvum erat detrimentum villanis, quibus ſuus numerus in pecudibus conſtabat. Acceptas aures cum caudulis mox jubet coquum vario genere impiperare & quanto potuit celerius ac promtius regi ad menſam importari. Meruit hoc ipſo Theodoricus, ut majoribus rebus admoveretur. Hinc auctus ſubinde opibus, auctus quoque gratia cæſaris, apud quem nemo propiore amicitiæ gradu fuit, unde non potuit non aulicorum obnoxius reddi invidiæ, quæ in eos plerumque debachari ſolet, qui ſingulari principum gratia florent. Omnem igitur movebant lapidem, ut mentem imperatoris a Theodorico redderent alienam. Secutæ accuſationes crebræ, ex quibus potiſſima erat, qua ipſum non ſatis ex fide bona cæſaris adminiſtraſſe criminabantur. Hæc & alia objecta crimina ut dilueret Theodoricus, dies ſtatuebatur, quo adveniente rationem adminiſtrationis ſuæ reddere juſſus, *En*, inquit, *ſereniſſime rex, brevis eſt calculus. Ad te veni ſimplici religionis habitu & pauculis in loculo denariis: quæ ſi mihi permiſeris, omnia reliqua, quæ teneo, tua ſunt: tibi, rex, habeto.* Ita delatores ſuos præſentes in ruborem dedit. k) Ex eo Carolus illum ad Epiſcopatus Ebronenſem l) dein Sleſuicenſem, poſt Mindenſem & tandem anno MCCCLXI ad Archi-Epiſcopatum Magdeburgenſem provexit. m) In bene inſtuenda diœceſi ſua non

reli-

religioſior, in locupletanda non ſolertior alter extitit. Opida & pagos Jüterbock, Gummern, Friedeberg, Lauburg, Jericho, Alſtedt, Logſtedt, Croſick, Langenbote, Crozerwick, Altenwedding, Dalwerſchleb, Meizendorff, Schrapelaw, Staßfurdt, partim venditos partim oppignoratos redemit n) arces vero Saltzmünde, Aldisleve, Hotensleve, Calbe, Sandau *primus ab ipſo fundamento erexit cum foſſatis & aliis neceſſariis*, ſi vera ſunt quæ ſcribit P. LANGIVS. o)
Anno MCCCLXIII templum Cathedrale Magdeburgenſe, quod anteceſſores ſumtuum magnitudine deterriti tentare non ſuſtinuerant, inauguravit, hujusque rei gratia vicinos antitiſtes, prælatos, principes, comites, & Barones magno ſecum habuit numero. Conſecrata receptis ceremoniis æde dominica poſtridie templum Bergenſe ſ. Johannis præſentibus iisdem principibus pari ſolennitate dedicatum eſt. p) An poſthæc in Bohemiam ad imperatorem regreſſus Theodoricus eccleſiam per ſeptennium abſens gubernarit, uti tradit KRANTZIVS, q) magnopere dubitamus, imo tantum non falſum habemus, ſi perſpexerimus ea, quæ intra illud tempus ab eodem præſente geſta refert Chronicon Saxonicum. Anno MCCC LXVII magni Brunſuicenſis ducis cum Gerhardo antiſtite Hildeſienſi bello ſe immiſcuit r) quo captum eum P. LANGIVS, s) occiſum RITTERVS t) & BVCELINVS u) memorant. At vero neutrum horum veritati eſſe conſonum patet ex iis, quæ habet H. BVNTING in Chronico Brunſuicenſi, x) ubi ne qui-

(margin: 1363 beside "Anno MCCCLXIII"; 1367 beside "LXVII")

dem interfuiſſe prælio iſti Theodoricum oſtendit.
1367. Mortuus tamen exeunte eodem an. MCCCLXVII y) laudatiſſimus Archi-Epiſcopus magnum ſui reliquit deſiderium. Corpus illius, ut deſideravit, in Letrinenſi (forſan Leninenſi) cœnobio, cujus quondam fuerat membrum terræ mandatum eſt, & ibi quoque tumbam ejus mirificam cum ſuo epitaphio & vidiſſe & legiſſe ſe teſtatur P. LANGIVS. z) Falſi proinde eſſent autores Chronici Saxonici, qui locum ſepulturæ ipſi aſſignant Magdeburgi in Cathedrali templo.

g) in Annalibus Marchiæ Brandenburgenſis.

h) de Marchia Brandenburgenſi ejusque ſtatu.

i) ex Vandaliæ lib. IIX. c. 32.

k) Vid. *KRANTZ.* Vandaliæ lib. IIX. c. 32. *WOLFIVS*, tomo I. rerum memorabilium, fol. 973. *LEHMANNVS* in Chron. Spirenſi lib. VII. cap. 39.

l) *P. LANGIVS* in Chron. Citiz. p. 840. & *AVTORES* Chron. Saxon. p. 349. in hujus locum ſubſtituunt Sareptenſem.

m) Vid. *Chronicon* Epiſcoporum Mindenſium a Meibomio in lucem protractum, & aliud, quod una cum magno Chronico Belgico edidit Johannes *PISTORIVS*.

n) *Chronicon* Saxon. p. 351.

o) in Chronico Citiz. p. 840.

p) *Chronicon* Saxon. p. 352. *MEIBOM.* in Chron. Bergenſi p. 35. 36.

q) Vandaliæ lib. IIX. c. 38. & Metropol. lib. IX. c. 50.

r) *KRANTZ.* Saxon. lib. IX. c. 33. Metropol. lib. IX. c. ult.

s) in d. l. Chronico p. 841.

t) Cosmograph. metrop. lib. IV. p. 597.

u) in Germania Sacra.

x) parte I. p. 245.

y) *Chronicon* Saxonicum.

z) d. l. & pag.

§. 42.

§. 48.

Poſt Theodorici obitum a capitulo electus eſt Fridericus ab Hoym, Epiſcopus Mersburgenſis; ei tamen repudiato Caroli imperatoris opera ab Urbano papa ſuffectus eſt ALBERTVS comes de Sternberg, quem P. LANGIVS a) Litomiſchlenſem/ (Leutmiſchel in Bohemia) autores Chronici Saxonici Olmuzenſem Epiſcopum antea fuiſſe ajunt. Dilapidator fuit bonorum eccleſiæ ſuæ teſte Hamelmanno. b) Luſatiam, quæ imperialis beneficii nomine multis annis ab Archi Epiſcopo Magdeburgenſi poſſeſſa fuerat, VI millibus marcarum Carolo cæſari vendidit. Sed & comitatus Aldenhauſen, Friedeborg & Wettin, nec non plura alia opida & prædia ejus prodigalitate ab Archidiœceſi ſunt diſtracta. c) Conflatam hoc modo ingentem gazam in ſuos uſus convertiſſe incuſatur: d) quod tamen non fert KRANTZIVS in metropoli e) ubi ſcribit: *Nemo ambigat ibi capitulum & miniſteriales adhibuiſſe animum & oculum, ne in privatos Archi-Epiſcopi theſauros ea pecunia perveniret. Potuit aliquantum inde deſumere, quam juſtis rationibus impendiſſet.* Et poſt pauca: *Quis credat ita dormiiſſe cæteros, ut ille ſolus rem contrectarit?* Breve fuit ejus regimen. Ex quo enim cum Magdeburgenſibus propter linguæ & morum diverſitatem ſibi non convenire cerneret, de commutanda cum Petro Litomiſchlenſi Epiſcopo fortuna conſilium iniit, in quo quidem facili negotio conſenſum papæ impetra-

MCCCLXXI

petra-

petravit. Anno igitur MCCCLXX (ſequentem habet Chronicon Saxonicum) Petrus ad Magdeburgenſem, Albertus vero ad Litomiſchlenſem eccleſias migrarunt. Et hic quidem *cum ſpolio ſacrilego*, ut conqueritur P. LANGIUS f) *reliquias multas & pretioſas furtim ſublatas ſecum deferens*, *caput videlicet ſ. Felicitatis*, *brachium ſ. Stephani*, *caput ſ. Philippi*, *& partem vexilli ſancti Mauritii.* KRANTZIUS g) addit *caput divi Martyris Sebaſtiani*, *digitum ſ. Mauritii*, *& brachium D. Philippi Apoſtoli.*

a) d. l. & pag.

b) de familiis emortuis.

c) Præter Hamelmannum adi Chronicon Saxonicum & RITTERI Coſmograph. metr. lib. IV. p. 597.

d) *Autores* Chronici Saxonici.

e) lib. X. c. 70.

f) in Chronis Citiz. p. 841.

g) in metropoli lib. X. cap. 7.

§. 49.

PETRUS. PETRUS ille cognomento de Bruna eccleſiæ Magdeburgenſis negotia ſat provide gerere cœpit.
1372. Anno MCCCLXXII arcem Schönebeck redemit: Wanslebium quoque integram ſuæ diœceſi adjunxit, cum Theodoricus Archi Epiſcopus quartam ejus partem emiſſet. h) Gliſcere poſtea cœperunt diſſenſiones inter ipſum & cives, quin & canonicos, quarum cauſa etiam Romam aliquando excurrere neceſſum habuit. Harum tandem pertæſus Archi-Epiſcopatu
1381. Ludovico Miſniæ marchioni anno MCCCLXXXI

re-

reſignato, ipſe in Bohemiam reverſus & hinc Epiſcopatui Olmuzenſi in Moravia admotus eſt. i)

h) *Chronicon* Saxonicum. *D. LANGIVS* d. l. p. 842. *MEIBOM.* Chronicon Bergenſe, p. 33.

i) *P. LANGIVS* & *KRANTZIVS* d. l.

§. 50.

Iſte LVDOVICVS Friderici Severi Landgravii Thuringiæ filius ex Mechtilde imperatoris Ludovici Bavari filia natus k) *per multas ambulavit Eccleſias, quærens requiem & non invenit*, ut loquitur KRANTZIVS. l) Primum enim Halberſtadenſis, mox Bambergenſis Epiſcopus fuit. Dein ope Caroli IV a Gregorio XI pallium impetravit Moguntinum, ſed gravem nactus eſt æmulum in Adolpho Naſſavio a Moguntinis electo: quibus contentionibus ferventibus præſulatum Magdeburgenſem interim recepit. m) Neque enim animus ipſi erat jus in Moguntinam ſedem prorſus relinquere, hujusque rei teſtandæ ergo non Archi Epiſcopi ſed adminiſtratoris nomen tantum uſurpavit. Verum mors litem diremit. Anno quippe M CCC LXXXI (alii LXXXII) orto in curia Calbenſi, ubi choreis indulgebat, leviculo incendio cum reliqua turba aufugiens graduum ruina oppreſſus miſere periit. Graphice hanc hiſtoriam deſcribit KRANTZIVS n) ex quo etiam eam repetemus: *Ad dies ſolutas carnisprivii vocabat* (Albertus) *ex miniſterialibus cum puellis & dominabus in Calven, ut more gentis reſoluti, carminibus, choreis, vanitati-*

LVDOVICVS. 1381.

Q *bus*

bus cæteris, lætos cum illo dies agerent. Venerant frequentes: Archi-Epiſcopus in primis choreis inerat fœminarum, nulli cedens circulationibus, ſtridoribus leviſſimis, & clamoribus. Die lunæ ad horam veſperam, cum mediis in vanitatibus verſarentur, apparuit ignis in camera, facile, ſi quis anniteretur, reſtinguendus: ſed nemo occurrit. Interpretatum eſt, immiſiſſe Dominum cunctis timorem, ut fugerent. Igitur ad gradus feſtinabant cum clamore univerſi. Archi-Epiſcopus vix chorea patitur abire, ut compeſceret populum: ſed immixtus turbæ, nec procedere nec retrocedere quibat. Venere in gradum tanta preſſura, ut mole ſua neceſſe eſſet dare ruinam. Igitur concidit gradus lapideus, cui imminebant. Ruebant una plusquam trecenti homines utriusque ſexus. Ex omnibus læſus eſt nemo præter Archi-Epiſcopum & tres alios. Iſte delatus in domum poſtera die ſpiritum efflavit. Ad locum deinde cremationis aſpexere, tam puſillum erat incendium ut puer reſtinxiſſet. Hunc invenit exitum per multas eccleſias tranſiens Ludovicus, utinam bona pœnitudine excedens.

k) *HIER. ZIEGLERVS* Prof Ingolſtadenſis in hiſtoriis illuſtrium virorum cap. 84.

l) Metropolis lib. X. cap. 25.

m) KRANTZ. d. l. SAGITT. in Hiſtoria Halberſtadenſi p. 69.

n) d. l. add. idem Saxoniæ lib. X. c. 5. *P. LANGIVS* Chron. Citiz. p. 843. *SEB. MVNSTERVS* Coſmographiæ lib III. p. 738. *ZIEGLERVS* d. l. *OLEARIVS* Halygraphiæ parte II. p. 167. ſequ.

§. 51.

§. 51.

Qui deinde Archi Epiſcopum egit FRIDERICVS ab Hoym Merſburgenſis antea Epiſcopus, propter adjectum eccleſiæ Magdeburgenſi caſtrum Angern laudem meruit a P. LANGIO, o) quam tamen ſucceſſori ejus tribuunt autores Chronici Saxonici. Tempus regiminis intra quadrageſimam & natalitia domini terminatur. His enim appropinquantibus Merſburgi morbo extinctus & ſepultus eſt. p) FRIDERICVS.

o) in Chronico Citiz p. 844.

p) LANGIVS d. l. & pag. KRANTZ. metrop. lib. X. cap. 34.

§. 52.

Poſt brevem Friderici pontificatum ſurrogatur ALBERTVS ex generoſa & perantiqua dynaſtarum Querfurdianorum familia natus, qui Archi-Epiſcopatum per XX annos cum laude adminiſtravit, bella, quantum fieri potuit, declinando, & eccleſiæ ſuæ bona augendo. q) ALBERTVS.
Anno MCCCLXXXIII comitatum Aldenhauſen ab Alberto de Sternberg Archi Epiſcopo alienato redemit, teſte HAMELMANNO, qui hæc ex Hoppenrodio hauſerat. 1383.
Anno circiter MCCCXC Archi Epiſcopus noſter, nec non duces Luneburgenſes Bernhardus & Henricus junctis viribus arcem *Klötze*, latronum receptaculum, expugnatam deſtruxerunt, cæſis, qui in ea latebant, prædonibus. r) 1390.
Anno MCCCXCIV opidum Ratenow, quod obſederat, proditione nonnullorum ex opidanis cepit. Proditores 1394.

tores vero proditionis mercedem expectantes cum uxoribus & liberis ſuis terra excedere juſſit, rectiſſime judicans *in ſe facturos, ubi daretur occaſio, quod nunc*
1395. *pro ſe feciſſent.* s) Anno MCCCXCV abſente Alberto Archi-Epiſcopatum hoſtiliter invaſit Rudolphus Saxoniæ Dux: t) quapropter Eccleſiaſtici & politici ditionem Rudolphi juſta quaſi talione depopulabantur. Manus quoque conſeruerunt, ſed in fugam conjecti ſunt. Albertus domum reverſus captos ex ſuis redemit, nulla habita civium ratione, quæ res deinceps variis contentionibus anſam dedit. u)
1402. Anno MCCCCII Bonifacius IX papa jubilæum propter merita Alberti promulgavit Magdeburgi, *ſub anni jubilæi urbis Romæ indulgentiarum forma* (ita deſcribit GOBELINVS x) *ita quod venientes Magdeburgum vel ibidem habitantes illo anno viſitantes certas eccleſias ad hoc decretas* (quatuor autem decretas tradunt autores Chronici Saxonici & ex eo Meibomius y) nempe Baſilicam, SS. Petri & Pauli, S. Johannis Bergenſem & Auguſtinianam) *cum oblationibus ſuis poſſent conſequi, indulgentias conceſſas viſitantibus urbem Romam in anno jubilæo, videlicet pleniſſimam remiſſionem omnium peccatorum.* Pecunia credulæ plebi per impoſturas extorta ceſſit partim pontifici, partim templis, quæ diximus, Magdeburgicis.
1403. Anno MCCCCIII propter rem monetariam, de qua non ſatis convenit inter Archi-Epiſcopum & cives, ſeditio excitata fuit, quæ omnem clerum ex urbe ſecedere coëgit, ſed per Guntherum comitem Schwartzbur-

bur-

burgicum & Johannem comitem Querfurtenſem omnia tandem compoſita ſunt. z) Archi-Epiſcopus autem hoc ipſo anno in caſtro Gibichenſtein mortuus Magdeburgi in Cathedrali templo humatus eſt.

Addit. *De caſtro Klötzen ad a. 1390. memorato plura vide in P. VII. Singul. Magd. p. 76. ſequ.*

q) laudat illum hoc nomine KRANTZ. d. l. X. cap. 35.

r) KRANTZ. Saxon. lib. X. cap. 14.

s) idem d. l. cap. 16.

t) De cauſa non conſtare teſtatur KRANTZ. in metropoli d. l.

u) Vid. KRANTZ. in metropoli d. l. & *Chronicon* Saxonicum.

x) Hujus verba repetit AVTOR magni Chronici Belgici ad hunc annum p. 333. Confer autores Chronici Saxonici & MEIBOMII Chronicon Bergenſe, qui tamen perperam hæc in annum 1395. rejiciunt.

y) in dicto Chronico p. 38.

z) P. LANGIVS in Chronico Citiz. p. 844. KRANTZ. Vandal. lib. X. c. 7. & 8. Saxon. lib. X. c. 20.

§. 53.

Succeſſor ejus GVNTHERVS comes Schwartzburgicus totum fere vitæ tempus contentionibus & bellis exegit. Primum, quod notari meretur, anno MCCCCV contra comites Anhaltinos geſtum eſt magno utriusque partis damno. KRANTZIVS de eo ita: a) *Surrexerunt deinde graves controverſiæ inter hunc pontificem & comites de Anhalt. Acceſſere partibus amici: in longum dilatata eſt hoſtilitas. Gunthero acceſſere parens ejus, epiſcopus Mersburgenſis, de Mansfeld ac Querfurt comites. Comitibus ex adverſo ſuppetias tulere (fratres*

GVNTHERVS.

1405.

tres enim tres erant) tria belli capita, epiſcopus Halberſtadenſis, Rodulphus omnium germanus frater, Rodulphus Dux Saxoniæ, de Eghelen comes: confœderationes duriſſimæ horum in illos, & viciſſim. Diuturnum ac late vagans bellum quod partibus nihil invexit, plurima detraxit. Nihil enim ex univerſo ſumtu & labore provenit, præter vaſtationem agrorum, pecorum abactiones, levia prælia, mutuæ captivitates, latrocinia multa ſub apparatu publici belli. Sic vadunt, ita vorantur pauperes de ſola ſuperbia nobilita-
1411 *tis.* Anno M CCCC XI arma cepit contra nobiles Schvvicheldios, qui diœceſi ſuæ, armenta agreſtium abigendo & alia damna inferendo admodum infeſti
1412. erant. Anno M CCCC XII adductis in ſocietatem belli Henrico & Bernhardo ducibus Brunſuicenſibus nec non Alberto Epiſcopo Halberſtadenſi ſedem illorum Harzburgum obſedit, obſeſſosque in tantas coëgit anguſtias, ut brevi poſt *ſe principibus permitterent corporibus & rebus ſalvi. Hæc enim erat deditionis formula*, ut habet KRANTZIVS. b) Munimentum a fœderatis confractum & ſolo æquatum eſt. c) Circa an-
1422. num M CCCC XXII arma vertit contra Hallenſes, cum quibus de ſalinarum proventibus illi lis oborta. Totius rei ſeriem denuo KRANTZII d) verbis exponemus. *Guntherus Magdeburgenſis Archi Epiſcopus tum Hallenſibus multa juſſit incommoda inferri: advehi devehique quicquid interdixit: nam ſalinarum proventus ſibi tanquam terræ domino pro juſta parte deberi contendit: cives contra, non niſi quæ ab*

olim

olim pontificibus data ſint, paratos exhiberi, nova nequaquam onera ſubitoros ſe prætenderunt. Ille urget deforis hoſtilia excercens, cives capit, bona invadit, interdicit itinera. Illi, ubi non alia via eſſet, armis ſe tueri confiſi, perarmatis aliquot ſuorum conductisque militibus diœceſin ingrediuntur, damna damnis compenſantes, captis opidorum civibus: ut haberent, quos ex ſe captis ad redemtionem compenſarent. Aliquot etiam militarium in terra ſunt dejecta præſidia. Sed intercepere negotium communes amici, miſitque Archi-Epiſcopus, & ex ſuo capitulo viros rebus gerendis idoneos, & aliquot ex ſuo conſilio comites. Advocantur vicinarum urbium conſulares, & res in eum exitum pervenit, ut damna damnis coæquata manerent: Hallenſes conſueta Archi-Epiſcopo exhiberent: ſed in ſolatia factorum bello ſumtunm XX millia ſexagenarum ex antiquis groſſis domino ſuo perſolverent.
Anno MCCCCXXIX Archi-Epiſcopatum incendiis 1429.
ac rapinis vexarunt Huſſitæ, quorum vim ac potentiam ita pertimuit Albertus, ut quantumlibet armatis copiis probe inſtructus & alias bellator ſtrenuus non tamen ad conflictum pugnamque eos provacare fuerit
auſus. e) Anno MCCCCXXX cum exercitu ſuo 1430.
Lipſiam conceſſit, quo omnes fere Saxonici principes & dynaſtæ copias ſuas contraxerant, ut ita junctis viribus Huſſitarum progreſſibus obicem ponerent. Sed dum ſingulorum conſilia diſceptantur, omnes nihil agunt. f) Circa hæc tempora S. P. Q. Magdeburgenſis cum paſſim Huſſitas victricia circumferre

vide-

viderent arma, urbem ſuam magis magisque vallis foſſisque firmare cœperunt. Ægre id admodum tulit & omnibus viribus impedire conatus eſt Guntherus, vel quod ſibi imposterum Magdeburgenſes munita urbe obſequium denegaturos ſuſpicaretur, vel quod in ſua jurisdictione & in area templi cathedralis ædificare ipſis nullo modo convenire putaret. Refert MEIBOMIVS, g) Guntherum de hoc inſtituto conqueſtum eſſe in litteris ad Helmſtadenſes ſcriptis, eosque rogaſſe, *ut, ſi Magdeburgenſes acquieſcere nollent & ipſe irritatus in ipſos aliquid tentet, quieti eſſe velint nec Magdeburgenſibus adeſſe.* Hinc illa canonicorum ſeceſſio, h) confœderationes, mutuæ prædationes & nulla non hoſtilia a KRANTZIO i) & *autoribus* Chronici Saxoni, diſertius memorata. Guntherus ad concilium Baſileenſe rem detulit, annoque
1434. M CCCC XXXIV ibidem a Pontifice & Cæſare edictum impetravit, quo jubebantur Magdeburgenſes, omnia quæ capitulo ademiſſent, reſtituere, munimenta protinus demoliri & Archi Epiſcopo obedientiam & reverentiam præſtare. Verum tantum abfuit, ut huic morem gererent Magdeburgenſes, ut potius majori cum impetu in terras Archi-Epiſcopi graſſari pergerent. Quapropter & proſcriptionis & anathematis fulmen experti ſunt, quamvis nec illud multum ſuſpicerent. Tandem per Epiſcopum Mersburgenſem & principem Anhaltinum compoſiti ſunt fluctus illi, ac Magdeburgenſes excommunicationis vinculo ſoluti. k)

ti. k) Scitis & ſeculi iſtius ſimplicitatem ſpirantibus rythmis bellum iſtud deſcripſit civis quidam Aſcanienſis, qui habentur in Chronico Saxonico. l) Anno M CCCC XLII Guntherus comitatum Frideburg 1442. vendidit comitibus de Mansfeld, teſte HOPPENRODIO. Mortuus eſt anno M CCCC XLIV, cum annis 1444. XLI præfuiſſet rebus. m)

Addit. *Ad a. 1430. Cl. autor memorat, Guntherum cum exercitu ſuo Lipſiam conceſſiſſe adverſus Huſſitas. Huc omnino refer fœdus Guntheri cum principibus Germaniæ contra Huſſitas facto, quod ex antiquitate primum erui in P. IV. Singul. Magdeb. p. 45.*

a) Metropolis lib. XI. c. 7.

b) Saxon. lib. X. c. 29.

c) Vid. KRANTZ. Metrop. lib. XI. c. 12. Chronicon Saxonicum, BVNTING in Chronico Brunſuicenſi, p. 424.

d) Saxoniæ lib. XI. c. 15. add. D. Olearii Halygraph. parte II. p. 180.

e) Vid. ZACH. THEOBALDVS in bello Huſſitico, c. 69.

f) CHRONICON Saxonicum & THEOBALDVS d. l. c. 70.

g) in Oratione de origine Helmſtadii.

h) Poetaſter paullo poſt citatus de hac ita canit:

Den Pfaffen iſts mißlungen
Derhalben ſie aus den Neſte geflogen
Die alten mit den Jungen.

i) Saxon. lib. XI. c. 20.

k) Vid. KRANTZ. d. l. c. 22. & 25. WERNERVS in Chronico Magdeburg. c. 38.

l) pag. 427. & ſequ.

m) KRANTZIVS in Metropoli, d. l. Chronicon Saxonicum, p. 438. P. LANGIVS in Chron. Citiz. p. 861. annum emortualem ponit 1438.

R §. 54.

§. 54.

FRIDERICVS. Tum infulam Archi-Epiſcopalem indeptus eſt FRIDERICVS comes Bichlinganus a Gunthero anteceſſore, cui a conſiliis fuerat, de meliori nota commendatus. Cum enim huic in extremis conſtituto ex capitularibus nonnulli adeſſent, deque digno ſucceſſore ſermones inter ſe conferrent, Guntherus, *ſi me conſulitis*, inquit, *oſtendam vobis eccleſia hocque pontificatu dignum ſucceſſorem, de Bichlinge, non hoc intus quod foris præſerentem.* (Ad ſtudia ejus digitum intendit, quæ in lautis veſtibus, venationibus, aucupiis & ſimilibus conſiſtebant.) *Ego novi optimum cor viri ad Dei timorem ejusque religionem. Nolite, quod foris apparet, intueri, illuſtrem virum habebitis animo & corpore integrum.* n) Poſt electionem quoque inſtar Iſraelitarum primi regis, *ſubito in alium virum commutatum fuiſſe* aſſerit KRANTZIVS. o) Lites ipſi interceſſere cum Friderico placido Electore Saxoniæ, qui & propterea bellum jam parabat. Nihil his commotus Archi-Epiſcopus, nec milites conſcribi, nec alia ad bellum gerendum neceſſaria curari fecit, ſed *ſe officio ſuo functurum* dixit, & *totum belli negotium, quod ſibi intendatur immerenti, Deo commiſſurum, qui arma pro ſe ſumturus ſit.* Quæ cum percepiſſet optimus princeps, abſit, inquit hæc a me inſania, ut illi bellum inferam, qui pro ſe defenſorem Deum invocat; eoque bello prorſus abſtinuit. p) Poſt hæc igitur amiciſſimi inter ſe vixere. Nam &

anno

anno M CCCC XLVI cum comite Mansfeldenſi fœdus percuſſerunt contra Vice-thumios, Kislebios & Wizlebios, qui a partibus Wilhelmi fratris contra Fridericum electorem ſtabant. Anno M CCCC LI Nicolao Cuſano, qui iſtis temporibus legati pontificii munere in Germania fungebatur, Magdeburgum advenienti obviam proceſſere turmatim Archi Epiſcopus cum ſuis clericis & cives; hi armati illi ſtolis candidis amicti ſanctorum reliquias ſecum deferentes hymnosque ſolennes decantantes. q) Cuſanus hic Friderici noſtri zelum religionis ferventiſſimum deprehendens, *unum ſe reperiſſe in Germania Epiſcopum* dicere conſuevit poſtea. Anno M CCCC LXI Amenslebium monaſterium, quod ab inſtitutis D. Benedicti plurimum receſſerat, ut vel nulla vel exigua regulæ cura supereſſet, per Hermannum antiſtitem Bergenſem reformavit & correxit. Quantum laboris exantlatum, qui ſumtus in hanc inſtaurationem impenſi, notat MEIBOMIUS. r) Et videntur quoque eo collimare ſequentia KRANTZII: s) *Major illi cura erat in reformandis moribus, quam ædibus. In quam rem nullum recuſavit laborem. Aggreſſus eſt ductu bonorum & zelo Dei viventium virorum, a religioſis utriusque ſexus incboare, ut ad ſeculares deinde perveniret. Dici non poteſt quantus inde labor, quanta ſurrexit adverſitas: armis tueri ſe multis locis contenderunt. Gaudebat, ubi major apparuit contradictio, nam ibi rem bene proceſſuram fidebat: &*

1446.
1451.
1461.

dicebat, ibi abundaturam gratiam, ubi exuberabat pertinacia. Non ceſſavit, donec effractis ſuperbiæ cervicibus, ad juga humilitatis & religionis perduceret re-
1464. *pugnantes.* Anno M CCCC LXIV cum XX annos in Archi Epiſcopatu exegiſſet, terrena reliquit. Sepulcrum ejus extat in Cathedrali templo, addito hoc epitaphio : t)

Præſulis eximii jacet hic corpus Friderici,
Qui lex clauſtrorum, lux cleri, pax populorum.

ſemper illum *ad carnem uſum eſſe cilicio* teſtis eſt P. LANGIVS. u)

Addit. *Tempore hujus Friderici innotuit ſuperſtitio Wilsnacenſis, cui pro viribus reſtitit pius ille AEpus. Hiſtoriam ipſam ſuppeditant* Chronic. *Magd. apud Meibomium,* Lüderus *in narratione de idolo Wilsn. Lubec. & Roſt. 1509. 4. & progr. noſtrum de* fœda ſuperſtitione Wilsn. *Quæ res quoniam illo tempore furioſum fere impetum in hominibus excitavit: minime in vita hujus AEpi eſt prætereunda.*

n) KRANTZ. Metropol. lib. XI. c. 38. add. Saxon. lib. XII. c. 5.

o) in Metropoli d. l.

p) D. Lutherus tom. V. Altenburgenſi fol. 178. G. FABRICIVS in originibus Saxonicis lib. VII. p. 755.

q) MEIBOM. Chronici Bergenſ. p. 48.

r) d. l. p. 49.

s) ex d. capite Metropolis deſumta.

t) Habet id WERNERVS in vita ejus.

u) in Chronico Citiz. p. 870.

§. 55.

§. 55.

Inde electus eſt JOHANNES epiſcopus Monaſterienſis, vir & ipſe modeſtus vita & literarum ſcientia inſignis, teſte eodem LANGIO, x) ſed protracta eſt ejus inauguratio *ſive diſcordia poſtulantium, ſive difficultate conſenſus ex illo, ſive intricatione rerum in Romana curia*, quæ ſunt conjecturæ KRANTZII. y) Stephani Bavariæ ducis, unde moderni electores Palatini ortum habent, filius, Ruperti imperatoris nepos fuit. z) Anno M CCCC LXVII nobiles Alvenslebios, qui prædationibus vias infeſtaverant, ope civium ſuorum in arce *Calvorde* obſedit, & brevi ad deditionem rerumque ablatarum reſtitutionem adegit. a) Anno M CCCC LXIX pagum Glaucha ab Alberto Archi-Epiſcopo ante LXXX circiter annos oppignoratum Halenſibus, redemit. b) Anno M CCCC LXXV fato conceſſit. c)

(Margin: JOHANNES. — 1467. — 1469. — 1475.)

Addit. *De oppido Calförde vide, ſi placet, P. VII. Singul. Magdeb. p. 98. ſequ.*

x) d. l.

y) Metropolis lib. XII. c. 3.

z) PH. JAC. SPENERVS in Sylloge Genealogico-hiſtorica de familia Palatino-Bavarica, p. m. 108.

a) KRANTZ. Metrop. d. l. & Saxon. lib. XII. c. 7.

b) OLEARIVS in Halygraphia parte II. p. 201.

c) SPENERVS d. l.

§. 56.

Poſt eum ERNESTVS dux Saxoniæ, Erneſti ele- ERNESTVS.

electoris filius, Friderici placidi nepos anno ætatis XI diſpenſante papa, imperatoris benevolentia & collegii ſuffragiis in antiſtitem poſtulabatur. Anno
1476. M CCCC LXXVI menſe Novembri ſereniſſimus pater IV millibus equitum multisque principibus ſtipatus illum deduxit Magdeburgum. Erant in comitatu Johannes elector Brandenburgenſis, Albertus dux Saxoniæ, Wilhelmus pater & filius, duces Brunſuicenſes, Ludovicus pater & Wilhelmus filius Haſſiæ Landgravii, Epiſcopi Halberſtadenſis, Hildesheimenſis, Miſnenſis, Mersburgenſis, Naumburgenſis, Brandenburgenſis, Havelbergenſis & Lebuſius. d) Et tunc quidem (ſi Fabricio fides) in publico loco & ampliſſimo tot principum atque præſulum conſeſſu princeps juvenis Johanni Archi-Epiſcopo (cui Coadjutor adjunctus fuerat, ſecundum illius ſententiam) commendatus, ſubditi vero ad obſequium ſevere ſunt admoniti. Sed de his ne γρῦ quidem apud KRANTZIVM & in Chronico Saxonico reperies. Certe, ſi jam tum anno MCCCCLXXV vivere deſiit Johannes, id quod ſtatuunt *autores* Chronici Saxonici, SPENERVS & alii, nondum liquet, quomodo hæc locum habere queant. Fortean cum Adminiſtratoris titulo Erneſtus ſufficeretur Gebhardo Halberſtadenſi Epiſcopo, hæc ita geſta & a Fabricio per incuriam de ſuſceptione Archi-Epiſcopatus Magdeburgici ſcripta ſunt. Quod ipſum ut credamus facile adducimur, cum ipſum quadrata rotundis miſcuiſſe in hac Erneſtina hiſto-

hiſtoria paulo curatius legenti pateat. Anno M CCCC LXXIIX excitata in Salinis Saxonicis inter patricios ſalinarum commoda ad ſe trahentes & ſenatum, cui plebs adhærebat, civili diſcordia, Erneſtus ab his in auxilium evocatus eſt. Sic igitur patefacta ſibi a ſenatu porta urbem cum copiis ingreſſus frenum utrisque injiciens præcipuos ſalinarum reditus & jurisdictionem ad ſe transtulit, & poſtmodum S. Mauritii arcem cervicibus urbis impoſuit. e) De illa PAVLVS LANGIVS tale exhibet Epigramma: 1478.

Tu quicunque vides ſurgentem mœnibus arcem,
Quanta Semiramidæ nec Babylonis erat,
Nec mirare hoſpes: Herneſto præſule ſtructa
Autoris retinet nomen & ipſa ſui.

Anno M CCCC LXXXVII Wevelingam caſtrum oppugnatum ivit. Sed interceſſere Wilhelmus pater & Henricus duces Brunſuicenſes, ſibi aliquid juris in eandem aſſerentes, eoque rem redegerunt, ut illa Henrico comiti de Sallberg (Krantzio Stallberg) cuſtodienda traderetur, donec de utriusque jure inter eos conveniret. f) 1487.

Addit. *De arce & oppido Weſerlingen plura vide in P. V. Singul. Magdeb.*

Anno M CCCC XCI & ſequentibus in componenda famoſiſſima illa inter Moguntinum & Saxones de Erfurto, quæ agitabatur, lite multum laboraſſe, ex manuſcriptis quibusdam litteris a Cl. SAGITTARIO 1491.

mihi

mihi commonſtratis edoctus ſum. Anno MCCCC
1493. XCIII ab Henrico Brunſuicenſi duce, inter quem &
Brunſuicenſes eisque confœderatas civitates Hanſicas
jam diu bellum gerebatur, pacis arbiter receptus eſt.
Erneſtus quoque cum Johanne Electore Brandenburgenſi & Magno duce Mecklinburgenſi adjunctis ſibi
arbitris, licet demum ſequente anno ad priſtinam concordiam eos reduxit. g) Sunt tamen alii, qui quod
utraque pars nihil de jure vel ſententia cedere voluerit, Erneſti ſtudium incaſſum abiiſſe ſcribunt. h)
1495. Anno M CCCC XCV diſſidia, quæ a multis retro
annis trahebatur inter Archi-Epiſcopos & civitatem
Magdeburgenſem, urgente Erneſto, rem promovente Alberto Saxoniæ duce, hac conditione ſunt ſublata,
*ut ſenatus numeraret octo millia nummum argenteorum
certo tempore, tum vice altera nummos mille ſex, ſexcentos ſex & ſexaginta, quorum unus aureo valeret Rhe-*
1500. *nano. i)* Anno M D ad Auguſtana comitia a Maximiliano indicta profectus eſt. Sunt autem præter alia
in his comitiis decreta de ſenatu imperii perpetuo ex
XX viris omnium ordinum delectis Noribergæ conſtituendo facta: qui ſupremus juſtitiæ & pacis publicæ cuſtos & ſententiarum in judicio Cameræ latarum
& defenſionis ac pœnarum adverſus pacis violatores
executor eſſe debeat. Hunc in ſenatum e Saxonicis principibus Erneſtus noſter & patruus ejus Alber-
1502. tus cooptati ſunt. k) Anno M D II. in nuptiis Joachimi I Electoris Brandenburgenſis cum Eliſabetha

Jo-

Johannis regis Daniæ filia, quæ celebrabantur Stendaliæ, Archi-Epiſcopus noſter ipſe ſacra fecit, & electori regiam ſponſam ſolenni ritu conjunxit. l) Plura quæ ad hiſtoriam ejus pertinent, videri poſſunt in SAGITTARII hiſtoria Halberſtadenſi. Obiit autem in arce a ſe extructa anno M D XIII. nonas Auguſti & hinc Magdeburgum delatus in ſepul- 1513.
chro conditus eſt in ſacello, quod eſt infra templi turres. In ambitu monumenti orichalcei ſequens extat epitaphium: *Qualicunque me arte artificis manus elaboravere. Terra tamen terram, & quod ERNESTI ex ducibus Saxoniæ Magdeburgenſis Archi-Præſulis, Germaniæ primatis ac Halberſtadienſis Adminiſtratoris reliquum eſt, tego. Ipſe me vivus poſuit, & ex ære, ut poſteris pietatis & amoris ſui memoriam relinqueret quam longiſſimam. Vixit annos XLIX, menſem I. dies VI. Præſedit Eccleſiæ Magdeburgenſi annos XXXVII, menſes IX, dies II. & Halberſtadenſi annos XXXIII, dies XXIII. Obiit anno MDXIII. die III. menſis Auguſti. Cujus anima in refrigerio lucis ac patris requieſcat. Amen.* Mors ejus dies aliquot celata & cadaver in feneſtris poſitum eſt, ut vivere & proſpicere crederetur, donec confecta eſſet Alberti marchionis Brandenburgenſis, Johanne electore nati electio. m)

d) GEORG. FABRICIVS in originibus Saxonicis lib. VII. p. 799.

e) P. LANGIVS in Chron. Citiz. p. 878. KRANZ. Metrop. lib. XII. c. 14. & Saxon. lib. XII. c. 22. FABRICIVS d. l. DAVID CHYTRÆVS in Saxonia lib. II. p. 52. & lib. XXXI. p. 949.

f) KRANTZ. Saxon. lib. XIII, c. 5. BVNTING. Chronici Brunſvicenſis p. 288.
g) CHYTRÆVS Saxon. lib. II. p. 54.
h) FABRICIVS d. l. VII. p. 795. BVNTING. Chron. Brunſvic. p. 293
i) FABRICIVS d. l. p. 796.
k) CHYTRÆVS Saxon. lib. I. p. 42.
l) FABRICIVS d. l. p. 797.
m) FABRICIVS d. l. p. 797.

§. 57.

ALBERTVS Cardinalis. ALBERTVS igitur eodem anno urbem bis mille equis ſtipatus ingrediebatur; & a Johanne Epiſcopo Numburgenſi ſolenniter inaugurabatur. n) Paulo vero poſt adminiſtrator diœceſis Halberſtadenſis & anno MDXIV Moguntinus etiam Archi-Epiſcopus Leonis X conſenſu creatus eſt, inuſitato plane ac inaudito ante in Germania exemplo. o)

1514.

Addit. *Eodem anno Albertus cardinalis cum Halberſtadii ſolenniter eſſet inauguratus, fratribus b. M. Virg. literas indulgentiarum conceſſit, quas apponere non alienum duximus:*

ALBERTI

Admiſſio & approbatio indulgentiarum ad conventum monaſterii novæ civitatis.

Albertus Dei & Apoſtolice ſedis gratia ſancte Magdeburgenſis Archi-Epiſcopus Primas Germanie & Epiſcopus Halberſtadenſis eccleſiarum, Marchio Brandenburgenſis, Stettinenſis Pomeranie Caſſuborum

Scla-

Sclavorumque Dux, Burggraffius Nürenbergenſis ac Rügie Princeps, univerſis & ſingulis Chriſti fidelibus, preſentes noſtras literas inſpecturis aut legi audituris ſalutem in domino ſempiternam. Ineffabilia glorioſe virginis Dei genetricis Marie meritorum inſignia devota conſiderationis indagine perſcrutantes & intra noſtre mentis archana revolventes, quod ipſa caſtiſſimo ejus utero prout noſtre fragilitatis exigebat neceſſitas, humane ſalutis autorem protulit, & apud eum quem maternis lactavit uberibus ſedulas pro noſtro fragilitatis expiationem preces effundit, dignum quin potius debitum reputamus, ut in honorem ſui nominis dedicatas eccleſias & loca alia gratioſis remiſſionum proſequamur impendiis & indulgentiarum muneribus decoremus, Cupientes itaque ut eccleſia conventualis fratrum ſervorum Beate Marie Virginis de obſervantia civitatis noſtre Halberſtadenſis congruis frequentetur honoribus, utque Chriſti fideles eo libentius devotionis cauſa confluant ad eandem, quo ex hoc ibidem celeſtis gratie dono ſe refectos ac indulgentiarum apoſtolicarum ipſis fratribus conceſſarum noverint fore participes, eorundem fratrum piis annuentes deſideriis petionibusque humilibus nuper nobis porrectis, Nos autem metropolitana ordinaria dominos fratres indulta exemtionis privilegia & indulgentias ante dicto ordini fratrum ſervorum beate Marie vir-

ginis a ſanctiſſimo in Epiſcopo patre & domino noſtro Innocentio divina providentia Pape VIII. juxta & ſecundum cujusdem inſtrumentum per reverendum dominum Petrum de Vincentia Epiſcopum Ceſenatem camere apoſtolice auditorem generalem tranſſumti, mare magnum appellati, tenorem pridie nobis exhibiti rite canfirmatas innovatas declaratas extenſas conceſſas & largitas paterne & gratioſe admittimus approbamus & ratificamus, ac ut eisdem absque noſtro ac ſucceſſorum noſtrorum atque eccleſie noſtre Magdeburgenſis prejudicio uti & gaudere poſſint & valeant, libere conſenſum noſtrum præbemus expreſſum, adjicientes nihilominus omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus vere penitentibus & confeſſis in ſtatu gratie exiſtentibus, qui dictam eccleſiam conventualem temporibus ac feſtivitatibus in dicto mari magno ſpecificatis devotionis ac orationis cauſſa acceſſerint, ac illi manus ſuas porrigendas duxerint adjutrices, ſeque gratiis ac indulgentiis inibi contentis participes fecerint, de omnipotentis Dei miſericordia ac beatorum Petri & Pauli apoſtolorum autoritate nec non ſanctorum Mauritii & ſanctorum ejus noſtrorum patronorum meritis confiſi quadraginta dies indulgentiarum de injunctis eis penitentiis miſericorditer in domino relaxamus preſentibus perpetuis temporibus duraturis, In quorum fidem ac teſtimonium premiſſorum has lite-

literas ſigilli noſtri juſſimus & fecimus appenſione communiri. Datum in civitate noſtra Halberſtad duodecima menſis Auguſti anno domini M D XIV.

Mirum quidem eſt, ſcribit LANGIVS p) *& pene ſtupendum, inauditumque, quod unus homo, unus paſtor & præſul tot & tantis præſit Epiſcopatibus.* Verum alia ſuberat ratio. Scilicet quod pallii ſepties jam per hominum memoriam repetiti emtio Romana ſingulis vicibus XXX aureorum millibus conſtaret Archi-Epiſcopatui Moguntino, hac conditione electus eſt, ut ipſe ſuo ſumtu pallium a pontifice redimeret. Eam pecuniam a Fuggeris mutuo acceptam cum per indulgentiarum promulgationem recipere laboraret, impudentiſſimi præconis Tetzelii hac in re uſus opera; Lutherus anno M D XVII contra diſputare, eoque prima 1517. reformationis fundamenta jacere cœpit. q) Scripſit ad Archi-Epiſcopum hac de cauſa B. Lutherus literas paulo acerbiores,& ut nomine ſuo illos improbos nundinatores abuti non pateretur,monuit. r) Moderationem tamen Alberti oſtendit reſponſoria ad Lutherum, blandis concepta verbis. s) Anno M D XVI eccleſiam cathedralem cum cœmeterio Walbeccano conſecravit Albertus, eidemque patronos addidit ſequentes: SS. Trinitatem, ſanctam crucem, D. virginem Mariam, S. Annam, S. Joachimum, S. Joſephum & omnes Chriſti conſanguineos. Item S. Petrum & S. Andream apoſtolos, Protomartyrem Stephanum, S.

Pancratium & S. Mauritium cum ſociis. t) Anno
1518. MDXIIX a Leone X galero cardinalitio donatus, in comitiis Auguſtanis, quæ ſub Maximiliano ultima ſunt habita, quibusque electores omnes interfuerunt, per cardinales Thomam Cajetanum & Mathæum Langum Epiſcopum Gurcenſem ſolenni ceremonia inauguratus fuit. Cæſar deinde novum cardinalem e templo domum reduxit, ac munera miſit *regiam lecticam, equos & ſtragulam, veſtem multam valde precioſam pontifex autem dono dabat pileum auro, gemmis & margaritis intextum & enſem deaurata vagina recondi-*
1519. *tum*, u) Anno MDXIX ſublato ex rebus humanis Maximiliano I comitia novi cæſaris eligendi cauſa Francofordiæ menſe Junio indixit, in quibus cum diverſa eſſent Electorum ſtudia & factiones: Albertus tanquam præſes conſeſſus ſapientia & autoritate ſua cum Friderico Saxone conjuncta id effecit, ut relicto Franciſco Gallo competitore, Carolus Auſtriacus rex Hiſpaniæ communi conſenſu imperator deſignaretur. x) Extat hujus electionis hiſtoria integra per Georgium Sabinum Brandenburgenſem conſcripta y) in qua Alberto noſtro graviſſimæ orationes in ſenatu imperii habitæ attribuuntur. Has cum legiſſet Archi-Epiſcopus longe ſplendidius & eloquentius, quam fieri a ſe unquam potuiſſet, ornatas, Jordano Herzheimero, qui eam exhibuerat, gratiſſimam ſibi fuiſſe oſtendit & miratus eſt tantopere rebus & verbis illu-
1520. ſtrari, augeri & ornari illa potuiſſe. z) Anno MDXX Al-

Albertus & cum eo Fridericus dux Saxoniæ Joachimus Marchio Brandenburgenſis, Henricus dux Meklenburgicus & nomine Johannis Saxoniæ ducis Fridericus a Thuen arbitri cognoſcendæ & amice componendæ ducum Brunſuicenſium cum Hildeſienſi Epiſcopo & Luneburgenſi duce controverſiæ Serveſtæ convenerunt. Sed cum toto fere menſe mutuis altercationibus & querelis conſumto, de ſumma rei prorſus convenire non poſſent, diſceſſerunt, & reliqua in conventu a proximo paſchate ruſum Serveſtæ inſtituendo, dijudicanda rejecerunt. Sed & ille, cum Henricus junior dux Brunſuicenſis totius cauſæ cognitionem Cæſari permitti vellet, re infecta ſtatim diſſolvebatur. a) Tandem tamen anno M D XXIII Alberti induſtria pax inter 1523. has partes reconciliata eſt. b) Anno M D XXIV 1524. Magdeburgi inſignis illa religionis reformatio inſtituta eſt, excito Luthero & miſſo poſtea ab hoc Nicolao Amsdorffio. Pluribus hiſtoriam deſcripſere CHYTRÆVS, c) & *autores* Chronici Saxonici,& VULPIVS, quamobrem nobis hic licebit eſſe brevioribus.

Addit. *Adde, ſi placet,* Decennium *noſtrum* Magdeb. *I. de a. 1524. Etiam* Primitias Evang. *in urbe Magdeb. de a. 1523. Neque vero in hiſtoria Evang. urbis noſtræ prætereundus eſt* GEORGIVS *princeps Anhaltinus, de quo oppido egregie ſcripſit* SECKENDORF *in hiſt. Luther.*

Anno MDXXV cum Lutheri dogma paſſim in opi- 1525. dis diœceſios Magdeburgenſis ſerpere & propagari cœ-

cœpiſſet, itinera quoque publica a prædonibus infeſtarentur, ab ordinibus Archi-Epiſcopatus Moguntia, ubi jam aliquot annos commoratus fuerat, in Saxoniam revocatus eſt Albertus. Quo facto de multis controverſiis religione tamen excepta cum civitate Magde-
1530. burgenſi tranſegit. d) Anno MDXXX comitiis Auguſtanis ubi confeſſio Lutheranorum imperatori Carolo V fuit exhibita, interfuit, & de componendo cum principibus confeſſioni addictis negotio mediisque concordiæ inveſtigandis multum laboravit, quantumvis infelici ſucceſſu. e) Poſt, cum ſingulis momentis electori Saxoniæ & cæteris in hac religionis cauſa conjunctis apertum bellum ab executoribus edicti in comitiis publicati expectandum eſſet: Albertus & Ludovicus Palatinus interceſſionibus ſuis effecerunt,
1532. ut anno MDXXXII pax inter Carolum imperatorem & dictos principes usque ad concilium duratura vel ad proxima imperii comitia Noribergæ concluderetur. f)
1538. Anno MDXXXIIX Jahannes Fridericus Saxoniæ dux & elector, cum Burggravii Magdeburgenſis dignitatem & opidum Gommern ab anteceſſoribus civitati Magdeburgenſi viginti duobus millibus aureorum vel venditum vel oppignoratum fuiſſe didiciſſet, poſt multorum menſium ſuperioris anni tractationes tandem perſoluta pecunia opidum Gommern redimit & titulum Burggravii Magdeburgenſis uſurpare cœpit. Cum autem Albertus Archi Epiſcopus jura Burggravii in ſalinis Saxonicis & urbe Magdeburgo impediret, arbi-

tri cauſæ cognoſcendæ & ex æquo (ut loquimur) ac bono vel per ſententiam dirimendæ conſtituti ſunt principes familiæ Saxonicæ, Brandenburgenſis & Haſſiacæ. Quos in Zervestana urbe amice componere controverſiam, aut ſententiam ferre volentes cardinalis eludere conatus, literas ab imperatore Carolo in Hiſpaniis tum degente ſuperiori anno impetratas, quibus tractatio negotii, utpote de feudo imperii, ad imperatorem revocabatur, in conventu exhibendas curavit. Quam ob cauſam principes interceſſores per legatos cardinali ſententiam ſuam de toto negotio, & quæ jura electori Saxoniæ, quæ Archi-Epiſcopo in judiciis Hallæ & Magdeburgi deberi judicent, expoſuere, nec ſe defuturos electori Saxoniæ in juribus ſuis tuendis oſtendere. g) Anno M D XXXIX ſubditis civitatibus & nobilitati publicum religionis evangelicæ exercitium in Magdeburgenſi & Halberſtadenſi diœceſi libere permiſit. Cum enim ingentem pecuniæ ſummam ab Archidiœceſanis peteret, nec aſſentiri proceres & civitates niſi Auguſtanæ confeſſionis doctrina ipſis conceſſa vellent: Albertus, ut pecuniam impetraret, connivendum eſſe duxit, collegiis tamen canonicorum & cœnobiis in priſtino ſtatu relictis. h) Anno M D XLIV comitiis Spirenſibus cum Cæſare & multis aliis principibus interfuit. i) Præterea arci Mauritianæ, quam Erneſtus Archi-Epiſcopus affectam reliquerat, k) poſtremam manum impoſuit & egregie munivit. Duo vero ædificia haut procul arce ſita,

1539. 1544.

ta, ex quibus tempore belli multum eidem incommodari poſſe cernebat, ſi quis ea hoſtis occupaſſet, dirui fecit. Alterum fuit ſacellum D. Ulricho epiſcopo ſacrum; alterum monaſterium profeſſionis regularis. Hæc & alia nonnulla anſam præbuere multis tyrannidis incuſandi Archi Epiſcopum & in odium apud mobile vulgus rapiendi. Certe in his fuit PAVLVS LANGIVS l) qui nullius non inhumanitatis & crudelitatis, quin & furti arguere non erubeſcit. Verum egregie vindicavit famam principis JOHANN CROTVS RVBEANVS, in libello cui titulum fecit: *Apologia qua reſpondetur temeritati calumniatorum non verentium confictis criminibus in populare odium protrahere reverendiſſimum in Chriſto patrem & Dom. D. Albertum &c. &c. privatim ad quendam amicum*
1545. *conſcripta.* Mortuus eſt Albertus M D XLV. IIX. kal. Octobris in ſumma æde Moguntina ad primarii altaris baſin ſub rubicundo marmore, cui aliquoties inciſæ voces: Alle hernach, ſepultus. m) Princeps fuit, quamvis non omnium virtutum genere abſolutiſſimus, qualem eum faciunt ſcriptores pontificii, pacis tamen ſane in illo religionis diſſidio ita amans, ut cum Ludovico Palatino unum illum obſtitiſſe recte judicent Joachimus Camerarius n) & nonnulli alii, quo minus in Germania prius orirentur bella. *Nam quicquid hic aut ille vociferetur*, inquit Camerarius, *hi profecto tanquam aggeres, ne bellorum veluti amnes Germaniam inundarent, obſtiterunt.* Cum quo belle conſonat Georgius Sabinus o) ita canens:

Ergo

Ergo quod exultant ſecuris publica terris
Otia ſuppreſſo bellaque Marte ſilent,
Quodque gravi nondum Germania mota tumultu
In ſua convertit viſcera cæde manus,
Se debere tuis meritis, ALBERTE, fatentur
Compoſitæ quotquot commoda pacis amant.

Addit. *Pacis publicæ quam ſtudioſus fuerit Albertus cardinalis, inter alia hoc documento eſt, quod, cum cæſar Magdeburgenſes a. 1527. ob mutatam religionem proſcripſiſſet, ille has literas ſuppreſſit tanta diligentia, ut ne γρυ quidem de iſto fulmine tum* quidem *emanarit in vulgus. Quare cum iſtud diploma a. 1727. forte in manus incidiſſet meas: operam dedi, ut in notitiam hominum perveniret. Vid. Part. I. Singul. Magdeb. p. 14.*

n) in Chron. Citiz. 884.

o) Chytræus Saxon lib. VII. p. 180.

p) pag. 862.

q) *CHYTRÆVS* Saxon. lib. VII. p. 180. 181. 196. *SVRIVS* in Commentario rerum in orbe geſtarum, ad a. 1517, p. 120. *PETRVS OPMEIERVS* in Chronographia ad a. 1512, p. 749.

r) Harum exempla reperiuntur in tomo I. operum *LVTHERI* Altenburgenſ. fol. 13. b. & fol. 345. Item tomo III. fol. 198. a.

s) Vid. *tomus I.* Altenburg. fol. 349. a.

t) Vid. *MEIBOMII* Chronicon Walbeccenſe.

u) *JO. SLEIDANVS* lib. I. p. 6. *MALLINCROTIVS* de Cancellariis, p. 158.

x) SLEIDANVS lib. I. pag. 19, & ſequ. CHYTRÆVS Saxon. lib. IIX. p. 204. JAC. AVG. THVANVS hiſtoriarum lib. I. p. 8. b.

y) in tomo II. ſcriptorum rerum Germanicarum SIM. SCHARDII.

z) CHYTRÆVS d. l.

a) CHYTRÆVS d. l. IIX. p. 214. BVNTING. in Chronico. Brunſuicenſi p. 241.

b) CHYTRÆVS d. l. p. 221.

c) lib. X. p. 249.

d) CHYTRÆVS d. l. & p.

e) *idem* lib. XIIII. p. 322. & 323.

f) *idem* d. lib. XII. p. 334, 335, & 336. THVANVS lib. I. p. 11. a. Exemplum pacificationis iſtius una cum cæſareæ Majeſtatis confirmatione Ratisbonæ data reperitur in *Chronico* Saxonico p. 561.

g) CHYTRÆVS lib. XV. p. 380.

h) *idem* d. l. p. 388. juncto Chronico Saxonico.

i) CHYTRÆVS d. l. p. 408.

k) OLEARIVS in Halygraphiæ continuatione, p. 37.

l) Vid. Chronicon Citiz. p. 901.

m) MALLINCROTIVS d. l.

n) in vita Philippi Melanchthonis p. 245.

o) lib. II. de Cæſaribus German. apud Freherum, tomo III. ſcriptorum rerum Germanicarum.

§. 58.

JOHANNES ALBERTVS. Alberto ſucceſſit in Magdeburgenſi & Halberſtadenſi diœceſibus JOH. ALBERTVS Marchio Brandenburgenſis, Friderici Onoldsbacenſis filius, Alberti Achillis Germanici nepos, qui jam ab aliquot annis utriusque eccleſiæ coadjutorem egerat. p) SPENERVS q) eum & Plocenſem epiſcopum in Polonia fuiſſe aſſerit. Pallium a Paulo III pontifice habuit, inveſtitus autem eo non eſt. r) Et ſi vera ſunt, quæ ex ſcripto cleri Magdeburgenſis in cives refert Johannes Sleidanus, s) Magdeburgenſes neque pro Epiſco-

po

po recipere, neque fidem ei dare voluerunt, in eoque permanſerunt, quoad ille vixit, tametſi magni ſæpe viri interceſſerint. Anno M D XLVI tantum diſſidi- 1546.
um inter capitulum & civitatem ortum eſt, ut canonici trepidi cum theſauris & mundo omni apparatuque eccleſiaſtico ex urbe diſcedere neceſſum haberent. t) Poſtulaverat autem ſenatus, ut eandem cum reliqua civitate religionem in templo ſuo colerent & ad munitionem urbis pecuniam ſenatui mutuo darent. u) Sed & eccleſiæ miniſtri & imprimis Nicolaus Gloſſenus, qui Amsdorffio ſucceſſerat, acerrimis concionibus in canonicorum impietatem & libidines invecti non exiguam his motibus præbuere occaſionem. x) Cumque Magdeburgenſes nova ſubinde in perniciem urbis clerum cudere conſilia animadverterent, publice affixis anno MDXLVII in urbe literis hoſtilia 1547.
ipſorum collegio denunciarunt, ac e veſtigio **Wolmirſtedt, Wantzleben, Dreileben, Eglen** & pagos reditusque capituli occuparunt. y) Quapropter ejusdem anni menſe Julio anno imperii per decretum Cæſareum conſtricta fuit civitas, repetitum biennio poſt, cum Johannem Fridericum electorem Saxoniæ juviſſent contra imperatorem, ac porro formulam interimiſticam repudiaſſent. z) Hi belli ſecuti fontes primi, cauſæ & occaſiones. Archiepiſcopus interea anno MDXLVII cum Johanne Friderico Saxone ita 1547.
transegit, ut ſubditi utriusque diœceſeos fidelitatis juramentum ipſi præſtarent: ſicque indignante colle-

gio tota ditione electori permiſſa Herbipolim, ubi præpoſitum agebat, ſeceſſit. a) Victo vero poſt ad Muhlbergam Johanne Friderico, a Carolo V imperatore in integrum reſtitutus eſt. b) Vitam finiit Hallis d. XVII Maji anno MDL quadrimeſtri ante inchoatam obſidionem Magdeburgenſem c) ibidemque in templo arcis tumulatus eſt. d) WERNERVS & *Autores* Chronici Saxonici obitum ejus referunt in
1549. annum MDXLIX: cum vero adhuc anno MDXLIX in vivis illum fuiſſe publicatio mandati executorii cæſarei e) nos doceat, non eſt ut hos multum moremur.

Addit. *Alia de Jo. Alberto huc facientia vid. in P. III. Singul. Magdeb. Cap. V.* von Vereinigung des Magdeburgiſchen und Halberſtädtiſchen Stiffts.

p) GEORG CHRISTOPH Reuſch im Chur- und Fürſtlichen Brandenburgiſchen Stammbaum/ p. 80.

q) in Sylloge Genealogico-hiſtorica p. 461.

r) REINH. BAKIVS in præfatione partis II. Expoſitionis evangeliorum, in vita Joh. Alberti.

s) lib. XXII. p. 693. Confirmat idem *FRID. HORTLEDERVS* de cauſis belli Germanici tomo II. lib. IV. c. I. p. 1030.

t) *WERNERVS* in Chronico Magdeburgenſi.

u) *SLEIDANVS* d. l. p. 697. utitur verbo *dependerent.* Confer. *CHYTRÆVS* Saxon. lib. XVI. p. 415. *HEINRICVS* Merckel de obſidione Magdeburgenſi apud Hortlederum d. l. IV. c. 19. num. 148.

x) *CHYTRÆVS* d. l. p. 402.

y) *SLEIDANVS* d. l p. 697. *CHYTREVS* d. l. p. 415.

z) *SLEIDANVS* lib. XIX. p. 590. item lib. XXI. p. 655. & 665. ubi Magde-

Magdeburgicorum ſcriptum apologeticum affert. Item lib. XXII. p. 697 Add. THVANVS lib. IV. p. 113. Literas banni evulgatas & edictum ad vicinos principes, quo ad bellum Magdeburgenſibus faciendum eos hortatur cæſar, exhibet *HORTLEDERVS* d. l. c. 1. & 4.

a) *CHYTRÆVS* d. l. *THVANVS* lib. IV. p. 68. b. & p. 79. a. *SAGITTARIVS* in Hiſtoria Halberſtadenſi, p. 96.

b) *WERNERVS* in vita ejus.

c) *CHYTREVS* lib. XXXI. p. 949. Menſch d. l. *OLEARIVS* in Halygraphiæ parte I. c. 7. p. 27. & parte II. p. 263.

d) *WERNERVS* d. l.

e) apud *HORTLEDERVM* d. l. c. 4.

§. 59.

Mortem Johannis Alberti excepit memorabile illud Magdeburgi obſidium, cujus ſummam ex variis quæ hactenus in manus noſtras venere ſcriptis aſſeremus. Scilicet ejusdem anni menſe ſeptembri Georgius dux Mecklenburgicus, qui Henrico Brunſuicenſi militaverat, in agrum Magdeburgenſem cum copiis ſuis pervenit, & cædibus, rapinis atque incendiis admodum in eo graſſatus eſt, conductus ad id magnis præmiis & pollicitationibus cleri Magdeburgenſis, qui ipſo ductore injuriam a ſenatu acceptam ſe ulturos ſperaverant, prout uno ore teſtantur SEB. BESSELMEYER, civis Magdeburgicus, f) SLEIDANVS, g) THVANVS. h) Die igitur XXI ſeptembris egreſſi Magdeburgo ſimul agricolis conjuncti cives atque milites præſidiarii, cum tormentis, munitione quam habebant carrucaria, & reliquo apparatu Wolmerſtadii pernoctavere. Poſtridie antequam luceret permotis caſtris ad hoſtem, qui Hildeslebii ſub-

ſiſte-

ſtiterat, recta contendunt, & cum in ejus conſpectum veniſſent, aciem inſtruunt, civibus & militibus in primis ordinibus, reliqua vero turba poſt principia collocatis. Hæc ubi advertit Mecklenburgicus, repenpente converſis ordinibus ſeminudam agreſtium multitudinem prius eſt adortus, quam cæteri ſe cum impedimentis obvertere ac laborantibus opem ferre poſſent: interim tamen acclamavere ipſis, qui haſtas objicerent (germanice ſie ſolten die Spieſſe fellen.) At miſeri ruricolæ hujus locutionis minus intelligentes easdem prorſus abjicere & jactatæ paulo ante fortitudinis immemores (nam etiam calceis ſuis hoſtem obruere comminati erant) in fugam præcipites abiere. Sicque perturbatis ſociorum ordinibus ad victoriam hoſti viam patefecerunt. i) In hoc prælio horrendum eſt, quod accidiſſe memorat JOACH. CAMERARIVS. k) *Filius fertur*, inquit, *qui cum duce Georgio eſſet inter illas vagantes cohortes patrem ſuum egreſſum cum aliis urbe contra hos, cum agnoſceret, tamen interemiſſe. Hoc ut in conflictu factum, nemo putavit tum improbe aut ſcelerate deſignatum eſſe. Autor tamen cædis hujus paulo poſt cum ad aggerem quendam conſtitiſſet, fortuito globo ex urbe emiſſo fuit & ipſe miſerabiliter interfectus; globo in frontem impacto & ita capite eliſo & patris ſui voluntario jugulatore obtruncato.* Ingenti, quam acceperant, clade nihil conterriti Magdeburgenſes edito ſcripto teſtati ſunt, agnoſcere ſe, explorandæ fidei & conſtantiæ cauſa

ſa hoc, quicquid eſſet incommodi, ſibi eveniſſe, ac paratos eſſe etiam mortem oppetere potius, quam mutationem ullam in religione admittere. l) Re ſic bene geſta in Magdeburgicos, continuo multi ad militiam confluxerunt, & in his Mauritius novus Saxoniæ & Joachimmus Brandenburgenſis electores cum Alberto Culmbacenſi & Henrico Brunſuicenſi, a militibus mox imperatores ſalutati. Dumque hi de obſidione proſcriptæ urbis conſilia agitant, Mauritius in comitiis Auguſtanis cæſaris & ordinum decreto ſummæ rerum præfectus eſt, in bellum vero decreta aureorum millia ſex menſtrua, proque ſumtibus jam factis millia centum ſoluta ſunt. m) CHYTRÆVS n) & H. MERCKELIVS o) tradunt, Mauritium hanc ſibi imponi provinciam paſſum eſſe non tam odio urbis, quam ſtudio declinandi hoc prætextu deliberationes de ſucceſſine filii cæſaris in imperio, quæ tunc in comitiis fervebant. Rem tamen magnis viribus egit, & conſtructis aliquot caſtellis ut in iis milites hyemarent, ad exitum ſpectante Novembri urbem aggreſſus eſt. p) Exin prælia levia & velitationes plurimæ ſunt commiſſæ, imo ipſe dux Mecklenburgicus captus eſt. Huic in urbe a mulierum, quarum viri ſuperiori prælio occubuerant, ſævitia vitæ periculum impendiſſe ſcribunt CAMERARIVS & MERCKELIVS. q) Pueri & adoleſcentes, qui prope noſocomium terram effoſſam transportando opus faciebant, aliquando hoſtes ſecuros & reſpirantes importuni inter-

terturbabant. Famulæ enim cujusdam ſupparo detracto, eoque ad ſpeciem militaris ſigni ſublato, collectis armorum loco palis, ligonibus ac bidentibus, qui ibi operis cauſa ſparſi jacebant, inſtructa acie vallum verſus per agros incedebant. Hoſtes igitur ad arma conclamantes atque excurrentes hinc inde in agris divagabantur, tandem vero puerorum catervam agnoſcentes in caſtra ſe magnis cachinnis receperunt. r) Scitum quoque eſt, quod narrat CAMERARIVS, s) una in urbis parte opportuna veteris adhuc turris reliquum fuiſſe faſtigium ita altum, ut ab hoſtibus facile conſpiceretur. Eo noctu faces & lumina illata, & circum illa loca, tanquam operarum quæ aliquid extruerent, ſtrepitus editi; atque ita in ſuſpicionem adducti hoſtes eo machinas & tormenta omnia dirigere, & mox vim globorum ejaculari, atque fruſtra conſumere præparatam copiam tam pulveris quam globorum & aliis locis parcere. Interea libellis edendis non ceſſatum; imo mutuis conviciis ac maledictis utrinque ſtrenue dimicatum fuit. t) Aliquoties tentata concordia, ſed quod civitas conditiones propoſitas tanquam nimis duras repudiaret, res felici eventu caruit. Tandem cum obſidione in dies gravius premerentur opidani, & defenſio urbis redderetur magis dubia, accedente inprimis penuria omnium pene rerum, quæ
1551. ad victum neceſſariæ ſunt, in fidem a Mauritio recepti fuere anno MDLI menſe novembri, his conditionibus, *ut ſupplices deprecentur cæſarem: ne quid*

in

in Auſtriacam & Burgundicam familiam faciant: cameræ ſe ſubmittant: Auguſtano decreto poſtremo pareant: juri ſeſe ſiſtant omnibus: urbis munitiones ad cæſaris arbitrium diruant: cæſaris præſidia quovis tempore admittant eique patefaciant urbem: aureorum millia quinquaginta dependant in uſum fiſci: pro belli ſumtu tormenta majora XII cæſari tradant, Mecklenburgicum ducem & captivos alios dimittant. u) His pactis utrinque confirmatis Mauritius urbem ingreſſus eſt cum vexillis quinque. In ponte deprecatio facta a ſenatu geſtu ſupplici, & oblatæ claves portarum, quas acceptas dux protinus tradidit Lazaro Svvendio nomine cæſaris præſenti. x) Cæterum obſervatum eſt, Carolum V. poſt hanc occupationem Magdeburgenſem nullum amplius fortunæ proſperum flatum expertum eſſe. y)

f) de bello *Magdeburgico*. Hoc ſcriptum germanico idiomate extat apud HORTLEDERVM d. lib. IV. c. 18. latino, in tomo II. ſcriptorum rerum Germanicarum SIM. SCHARDII p. 1684.

g) lib. XXII. p. 684.

h) lib. VI. p. 131. 6.

i) Vid. BESSELMEYER d. l. Merckel d. l. n. 176. ſequ. SLEIDANVS & THVANVS d. l. CHRONICON Saxonicum p. 602. ſequ.

k) in annotatione rerum præcipuarum ad annum 1550. quam ex adverſariis illius manu exaratis exſcriptam edidit Marquard. FREHERVS, tomo III. ſcriptorum rerum Germanicarum.

l) SLEIDANVS d. l. p. 456. Scriptum illud integrum habetur apud HORTLEDERVM d. l. cap. 8.

m) SLEIDANVS d. l. p. 686. & 688. THVANVS d. l. p. 132. 133.

n) Saxon. lib. XVII p. 438.

o) in modo laudato ſcripto, num. 192.

p) SLEIDANVS d. l. p. 689.

q) Confer. SLEIDANVS d. l. p. 691. THVANVS d. l. p. 139.

r) BESSELMEIER d. l.

s) ad annum 1552.

t) Pleroſque librorum libro ſuo de bello Germanico inſerit HORTLEDERVS tomo II. lib. IV.

u) *SLEIDANVS* lib. XXIII. p. 722. 723. *THVANVS* lib. IIX. p. 160. 161.

x) *CAMERARIVS* d. l. p. 464.

y) *CHYTRÆVS* lib. XVII. p. 442. *DRESSERVS* in Iſagoge Hiſtor. Millen. VI. p. 498. LVD. *GVICCIARDINVS* lib. II. Commentariorum de rebus memorabilibus in Europa geſtis.

§. 60.

FRIDERICVS. Jam fere per biennium vacaverat ſedes. Etſi enim FRIDERICVM Marchionem Brandenburgenſem Joachimi II electoris filium prior Archi-Epiſcopus Johann. Albertus coadjutorem ſibi anno MDXLVII deſignarat, z) tamen confirmatio a pontifice obtineri non potuit, quod Auguſtanæ confeſſionis doctrinam in eccleſiis Marchiæ juſſu electoris
1552. doceri conſtaret. Poſtquam autem anno MDLII finito bello Magdeburgico ab utriusque eccleſiæ canonicis ſucceſſor acciperetur, ſe pro Archi-Epiſcopo gerere cœpit. a) Ob id in admiſſione concilii Tridentini Joachimum patrem promtiorem ſe præbuiſſe THVANVS notat. b) Nec tamen diu præſulatui præfuit: nam adhuc eodem anno Halis Halberſtadium regreſſus ſubitaneo correptus morbo die III Octobris animam efflavit. c) Sepultura illius in baſilica Halberſtadenſi magnifica fuit. d) Tribus ante obitum menſibus ingens violentiſſimusque turbo Magdeburgi ita

graſſa-

graſſatus eſt, ut duarum turrium pinnacula conciderent: per quod Archi-Epiſcopi exitium ſignificatum fuiſſe putat MATTHIAS FLACIVS ILLYRICVS. Epitaphium illi ſcripſit Georgius Sabinus, quod ex ejus epigrammatis repetemus:

Reddidit ante diem Fridericus Marchio vitam
Factus ubi præſul Parthenopoeus erat.
Hunc ubi conſpexit reſpublica morte ſolutum,
Flevit & hæc mœſto pectore verba dedit:
O columen, Friderice, meum ceu meſſis in herba,
Ah! tua ſub primo flore juventa perit?
Te vix alter erat præſtantior indole princeps,
Spes erepta mihi funere quanta tuo!

z) *THVANVS* lib. IV. p. 79.
a) *CHYTRÆVS* lib. XVII. p. 462.
b) lib. VIII. p. 167.
c) Vid. *MATH. FLACIVS* in clave ſacræ ſcripturæ, ſub voce *Turris.*
d) *WERNERVS* in vita ejus.

§. 61.

Inde in Archi-Epiſcopum aſſumtus eſt SIGISMVNDVS, Friderici frater conſanguineus, XIV annorum adoleſcens, Sigismundi Poloniæ regis ex filia nepos, cui habitu corporis perquam fuit ſimilis. Quo reſpiciens laudatus poëta Sabinus in epigrammatibus ſuis ita canit: *SIGISMVNDVS.*

Quanta Sigismundi gravitas, ſapientia, virtus,
Quem coluit regem Sarmatis ora, fuit:

Tanta tibi gravitas, illius tanta nepoti
Virtus, tamque ſagax contigit ingenium.
Quin eadem facies habitusque ſimillimus oris,
Inque tuo validum corpore robur ineſt.
Indole ſic animi, ſic fauſto nominis illum,
Omine, ſic oculis, ſic gravitate refers.

In Halberſtadenſi epiſcopatu æmulum habuit comitem de Stolberg, præpoſitum a nonnullis canonicorum electum, cum quo in quintum usque annum
1557. litigavit, donec tandem hoc excluſo anno MDLVII octingentis equitibus cinctus poſſeſſionem adiret. e) Controverſiæ inter capitulum & civitatem ex bello reliquæ ejus potiſſimum autoritate compoſitæ ſunt, ſolutis a civibus quinquaginta aureorum millibus. f) Princeps fuit bonus, humanus, literatorum amans, ac veræ religionis ſtudioſus. Nam errores pontificios hactenus in Salinis Saxonicis relictos ſuſtulit, eccleſias diœceſeos ſuæ per viros pios viſitari curavit, ac fidei ſuæ confeſſionem a conſiliariis ad comitia Au-
1566. guſtana anno MDLXVI miſſis edi poſtulavit: mature tamen cum novam eccleſiaſticæ diſciplinæ formam, exploratis prius multorum ſapientum & doctorum judiciis, animo meditaretur, rebus humanis exemtus eſt ejusdem anni menſe Septembri, magno collegii ſodalium, qui conſilia ejus adjuvabant, dolore, g) inque templo arcis Hallenſis terræ datus eſt. h)

Addit. *Quanta fide Sigismundo in abolendis Papatus reli-*

reliquiis ſuaſor & auctor fuerit Wolfgangus princeps Anhaltinus, docet BECMANNUS *in hiſt. Anhalt. P. V. Lib. II. cap. 12. §. 20.*

e) *WERNERUS* in vita ejus.

f) *CHYTRÆUS* lib. XVII. p. 463. MERCKELIUS c. I. n. 341.

g) *CHYTRÆUS* lib. XXI. p. 563. THUANUS lib. XXXVII. p. 763. & SIMON SCHARDIUS de rebus geſtis ſub Maximiliano II. Imp. in tomo IV. p. 2306. MICH. CASP. LUNDORPIUS in continuatione SLEIDANI tomo I. lib. VI. p. 738.

h) *WERNERUS* in vita ejus.

§. 62.

Cum autem ſupremi collegii Magdeburgenſis plerique canonici, repudiatis erroribus & idolis pontificiis, ſinceram evangelii doctrinam amplexi eſſent, nec jam Archi-Epiſcopum Romano pontifici addictum sed ſuæ confeſſionis principem aliquem expeterent, adminiſtratorem primatus & Archi-Epiſcopæ deſignarunt JOACHIMUM FRIDERICUM Johannis Georgii electoris Brandenburgenſis filium, conſentiente imperatore Maximiliano II, qui anno M D LXV in Hungaria militaverat. i) Præſcripſit collegium ſupremæ eccleſiæ Magdeburgenſis conditiones & articulos ab adminiſtratore & patre electore approbatos & illius quoque jurejurando confirmatos, quos ex CHYTRÆO k) huc referre duximus: *Primo ſe collegii ſupremi, & reliqui cleri & provincialium regalia, privilegia, ſtatuta, conſuetudines, bona, poſſeſſiones jura & libertates clementer ac fideliter tueri ac defendere, nec quicquam inde decerpere, aliena-*

JOACHIMUS FRIDERICUS.

1565.

re,

re, vendere, permutare velle, ſine peculiari ſupremi collegii conſenſu promittit. Inprimis vero ſalinarum bona ad menſam Archi-Epiſcopi deſtinata nulli conferet, donabit, vendet, aliave ratione alienabit. Arces Archi-diœceſis & prædiorum ædificia ſarta tecta ſervabit. Nihil ſibi in prælatos, canonicos & alios eccleſiaſticos eorumque miniſtros juris ſumet, niſi quantum antiquitus receptum eſt, ac ſi quid adverſus illos actionis habebit, coram collegio ſupremo proponet & tranſiget. Canonicorum hæreditates ab inteſtato vel ex teſtamento relictas nulla ratione vindicabit, ſed collegio veteri more diſponendas relinquet. Nulli civitati vel privatis nova privilegia inſcio vel non aſſentiente collegio dabit. Beneficia eccleſiaſtica cum vacabunt, menſe ordinario, collegia ſicut antiquitus receptum eſt, ſuis electis conferent, & poſſeſſionem, Archi-Epiſcopo non impediente, tradent, qui omni diligentia curabit, ne beneficia extinguantur, profanentur, vel in alios uſus inſolentes convertantur. Prælaturas & dignitates vocantes ab Archi-Epiſcopo conferri ſolitas, intra menſem canonico habili & in legitima poſſeſſione majoris præbendæ exiſtendi & capitulari deferet. Nullas exactiones novas, non præſciente & aſſentiente ſupremo templi collegio & Archi-diœceſis ordinibus, inſtituet ac imponet. Cum comitia ordinum provinciæ indicenda erunt, ſupremum collegium de capitibus proponendis & tempore indictionis ante deliberabit. Pecuniam ad diſſolvenda Archi-diœceſis debita, in proxi-

mo

mo conventu Calbenſi ab ordinibus promiſſam in nullos alios uſus, quam in conventu decretum eſt, converti mandabit. De cujus pecuniæ adminiſtratione delecti ex ordinibus in ſupremo collegio, adbibitis Archi-Epiſcopi conſiliariis, rationes reddent, omnia vaſa argentea, literas originales, & alia ad Archi-Epiſcopi menſam pertinentia juxta tenorem inventarii fideliter ſervabit. Collegii ſupremi ſede vacante acta & collationes ratas habebit. Nullam minitionem novam ædificabit, nec bellum ullum movebit, nec fœderi ulli ſe, absque collegii & provincialium conſenſu implicabit. Refragante actionibus Archi-Epiſcopi collegio, nulla a cæſare vel pontifice decreta aut confirmationes obtinebit, quæ etiam impetratæ nullius momenti erunt. Gubernationem & cancellariam de concilio collegii ita inſtituet, ut juſtitia omnibus æqualiter, nulla interceſſionum a cognatis vel peregrinis principibus ratione habita, adminiſtretur. Omnes transactiones, decreta comitiorum provincialium & alios contractus conſenſu collegii antea initos, principali fide ſervabit & exequetur. De opido & præfectura Eglen quod a Cardinali & Archi-Epiſcopo Alberto ſupremum collegium emit, evictione præſtabit collegio vel aliis, et camera Archi-Epiſcopi literis promiſſos reditus tempeſtive ſalvi curabit. Collegii legatis hoſpitium & victus in Archi-Epiſcopi arcibus non negabitur. Si collegium a ſenatu & communitate Magdeburgenſi, ut antea accidit, ex urbe pelletur, unum ex Archi-Epiſco-

 pi

pi arcibus cum reditibus excepta Gibichſtein, ipſis inhabitandam & fruendam tradet, donec controverſiæ componantur. Arces Archi-Epiſcopi aliis oppignoratas redimet, vel a collegio redimi permittet. Servitia nova intra decennium monaſteriis & aliis ſubditis impoſita, abrogabit, nec collegii ſubditos ſervitiis premet. Miniſtros etiam collegii non requiſito antea capitulo captivos duci non permittet. Reditus cœnobii S. Georgii in ſalinis ad pios uſus convertet. Reliqua monaſteria omnia, in præſenti ſtatu conſervabit & rationes annuas de illorum adminiſtratione adhibitis aliquot collegii perſonis, ſumet. De cœnobiis quæ ad menſam Archi-Epiſcopi translata ſunt, quantum antiquitus ſingula ad imperii & provinciæ onera ſublevanda contulerunt, Archi-Epiſcopus delectis ex ordinibus ſolvet. Præfectis & judicibus mandabit, ut reditus annuos a ſubditis Archi-Epiſcop. eccleſiaſticis & politicis debitos maturius quam hactenus pendi curent. Sylvas Archi-diœceſis non claudet, nec lignationibus immoderatis vaſtari ſinet. In comitis imperii ſeſſionem ſuam tuebitur & in præſtatione contributionum imperii, Archi-diœceſin gravius quam antiquitus receptum eſt, onerari non ſinet. Capitanei arcibus Giebichſtein & Mauritii nulli niſi indigenæ & de conſenſu ſupremi collegii præficiantur: cui collegio etiam jurare juxta antiquam formam, eamque ſcriptam ſigillo confirmatam tradere teneantur. Similiter cæterarum arcium præfecti intra octiduum juramento ſe collegio obli-

obligabunt. Quo tantiſper tenebuntur, donec ſucceſſor juramentum renovabit. Ad omnes præfecturarum rationes audiendas Archi-Epiſcopus ex ſupremo collegio aliquos adhibebit. Miniſtros collegio pertinaciter adverſantes & domino ſuo & Archi-diœceſi infideles ex aula & præfecturis removebit: nec ſede vacante a collegio remotos unquam recipiet. Nullis oppignorationibus feudorum Archi-diœceſis conſenſum ultra triennium, ſine expreſſo collegii conſenſu dabit. Coadjutorem eligere, cum neceſſitas flagitabit, collegium ſupremi templi cum Archi-Epiſcopo poterit. De ſucceſſione cum nemine mortalium, collegio non aſſentiente, tractabit. Facta reſignatione ad manus capituli præfecturas non ſpoliabit. Negotia gubernationis, debitorum & alia hæreditariarum ditionum cum Archi-diœceſis debitis & negotiis non miſcebit, nec aliter Archi-diœceſin poſſidebit, quam antiquitus uſitatum eſt, & beneficiorum taliumque bonorum eccleſiaſticorum natura requirit. Ad quam conditionem forma juramenti ſubditorum prioribus Archi-Epiſcopis & collegio ſupremi templi tanquam veris & hæreditariis dominis, ſede vacante præſtiti, deinceps etiam dirigentur. Summam pecuniæ a ſenatu & communitate Magdeburgenſi cæſareæ majeſtati & imperio ratione reconciliationis debitæ collegio a cæſare deſtinatam ſine ullo Archi-Epiſcopi impedimento, collegium accipiet. Quod ſi de ſuperioribus articulis diſputationes cum collegio incident: duo ex conſiliariis, &

duo ex collegio cum plena poteſtate rei componendæ arbitri erunt. Inter quos ſi non conveniet, collegio alicui JCtorum acta decidenda mittent, & in judicio acquieſcent. Quod ſi collegium & reliqui clerici antiqua conſuetudine & ordinatione Epiſcoporum, plus juris quam in his articulis expreſſum eſt, habebunt, id quoque firmiter & inviolate eis ſervabit. Cumque diœceſis Halberſtadenſis a Magdeburgenſi ſejuncta ſit, de concilio collegii aulam contrahet, ne nimia frequentia novis debitis contrahendis occaſionem præbeat. Poſtremo, cum futuris temporibus electoris Brandeburgenſis dignitas & ditionum Brandeburgicarum adminiſtratio ad Joachimum Fridericum velut legitimum ſucceſſorem perveniet: omni Archi-diœceſis Magdeburgenſis adminiſtratione abſtinebit: omniaque quæ in ea habuit, omnino extincta & abolita erunt, & ſine ulla recuſatione vel mora in collegii ſupremi, ſicut ſede vacante fieri ſolet, poteſtate erunt: quod alium Archi-Epiſcopum vel adminiſtratorem ſine ullius impedimento eliget. Ne juramentum ab ordinibus, officiariis & ſubditis Archi-diœceſis ſumtum, ulterius quemquam obligabit, ſed, vigore hujus tranſactionis ipſo facto caſſum & irritum erit. Fuerat Joachimus Fridericus jam tum anno Chriſti MDLIII ætatis ſeptimo Havelbergenſi, inde anno MDLV Lebuſienſi epiſcopatibus præpoſitus, quos pater interim propter impuberem illius ætatem rexerat. l) Pro felici muneris Archi-Epiſcopalis exordio in-

inchoatam a patruo doctrinæ & diſciplinæ mutatio-nem ad exitum perduxit optatum, & templum cathedrale, quod ob canonicorum diſſidia per vicennium fere clauſum fuerat, anno MDLXVII aperuit, inſti- 1567. tuto primo Auguſtanæ confeſſionis paſtore Siegfrido Sacco theologiæ doctore & ſcholæ Magdeb. tum rectore, qui dominica I Adventus ſecundum dictam confeſſionem ſacra in eodem peragere cœpit. m). In cujus rei memoriam tabulæ cuidam, ante chorum, hæc aureis inſcripta literis hodieque leguntur: ANNO DOMINI M. D. LXVII. DOMINICA I. ADVENTVS REPVRGATVM EST HOC TEMPLVM CATHEDRALE, ET INCHOATA PVRA EVANGELII PRAEDICATIO, ET LEGITIMA SACRAMENTORVM ADMINISTRATIO. VENI. VIDE. AVDI. n). Anno MDLXX Joachimus Fri- 1570. dericus novo & inſolenti more, ex ſodalium illius collegii conſenſu nuptiis Cuſtrini celebratis, uxorem duxit Catharinam Johannis marchionis Brandenburgenſis patrui ſui filiam, ex qua numeroſam ſobolem ſuſtulit opportuno ad illuſtriſſimam gentem, quæ fere ad ſolitudinem redacta erat, propagandam ſubſidio. Admodum indigne hoc tulit Pius V. pontifex, & nihil non movit, ut ipſi Archi Epiſcopatum abrogaret, ſollicitato ad executionem iſtam Maximiliano II. Verum prudentiſſimus ille imperator, cum animadverteret id negotium facilius Romæ decerni, quam tuto in Germania perfici, re in longum extracta, vota & intem-

peſtivas pontificis preces ſapientiſſime eluſit. o) Ex hoc ſtatus quæſtionem Archi-Epiſcopis Magdeburgenſibus moverunt catholici, idque vigore vexatiſſimæ controverſiæ des geiſtlichen Vorbehalts p) quibus optimo maximoq; jure in comitiis Ratisbonenſibus anno MD XCIV Joachimi Friderici legatus pro tuendo jure ſedis Archi-Epiſcopalis ſeſe acriter oppoſuit. q) Non ſolum autem votum & ſeſſionem in comitiis ſed & reviſoris quoque munus eidem denegarunt, unde factum eſt, ut reviſiones quas vocant, cameræ ex eo tempore omiſſæ fuerint, ut teſtatur JO. LIMNÆVS. r)
1574. Anno MD LXXIV cum Halis inviſit Henricus III rex Galliæ, ſuperiori anno creatus rex Poloniæ, quem per IV dies magnifico apparatu tractavit. s) Anno
1579. MD LXXIX Auguſtus elector Saxoniæ Archi-Epiſcopo noſtro ceſſit omnia jura ratione Buggraviatus Magdeburgenſis, electoribus Saxonicis debita, & per Mauritium electorem tempore belli ipſis acquiſita, (alles das, waß S. L. und das gantze Haus Sachſen, als ein Burggrav zu Magdeburg in den Städten Magdeburg und Halle, und in den gantzen Ertz-Stifft Magdeburg aus der Röm. Kaiſer und Könige Begnadung haben, von dem H. Reich zu Lehen tragen, und ſich mit Ubung und Gebrauch des Bannes Befehlunge, des Schultheiſſen und Saltz-Graven zu Halle, und andern, das S. L. ſich darunter gegen dem Ertz-Stifft bißher angemaſſet, oder vermöge ihrer habenden Begnadung und Lehen-Brieffes, etwan von

von den Chur- und Fürſten der Erb-Einunge beſchehenen Weiſunge, auch der daſiegert aufgerichteten Verträge, oder ſonſten in einigem Wege zu gebrauchen haben möge, gar nichts, wie daſſelbige Nahmen haben mögte, davon ausgeſchloſſen) uti habent verba transactionis. t) titulo tamen & inſignibus ſervatis ut & præfecturis, quibus ille adhæret, Gommern, Raniß, Elbenau, & Gottau. u) Quo facto Archi-Epiſcopus multis perſonis illuſtribus & bis mille equitibus eum comitantibus XXVI octobris Magdeburgum ingreſſus homagio ſibi cives devinxit. x) Pompam ſplendiſſimi hujus ingreſſus eleganti carmine deſcripſit POMARIUS. Anno MDLXXXV diſſenſio inter Archi-Epiſcopum & civitatem Magdeburgenſem de politica & eccleſiaſtica jurisdictione mota, duorum electorum, Saxonis & Brandenburgenſis interceſſione his diremta eſt conditionibus, *ut civitas liberum religionis Auguſtanæ confeſſionis exercitium jus vocandi ac conſtituendi miniſtros eccleſiæ & rectorem ac ceteros collegas in ſchola; totamque inſpectionem ac gubernationem parochiarum, ſcholæ, cœnobiorum, ſicut jam poſſidet, ſalvam & incolumem retineat. Jurisdictionem vero in cauſis matrimonialibus Archi-Epiſcopo, qui ſolus ea olim adminiſtravit, hac conditione ſenatus reſtituit, ut officialis Archi-Epiſcopi deinceps judicio matrimoniali præſideat, cui certas perſonas ex ſenatu & miniſterio conſules adjungunt, quæ non præciſe juxta canones pontificios, ſed uſitatas in eccleſiis* Au-

Auguſtanæ confeſſionis conſiſtoriorum leges pronuncient. Quod ſi inter Archi-Epiſcopi & ſenatus aſſeſſores de ſententia non conveniet, acta aliis conſiſtoriis Auguſtanæ confeſſionis dijudicanda mittantur. De citationibus etiam civium, examine teſtium & appellationibus æqua & utrique parti tolerabilia media definierunt. Portam Archi-Epiſcopo, ſive interdiu ſive noctu ingredi velit, rurſum patefacit ſenatus, ita ut clavium portæ cuſtodia penes ſenatorem certum maneat, & vigil portæ a ſenatu conſtituatur, qui Archi-Epiſcopo & ſenatui juret, ſe utrique parti ingreſſum & exitum liberum quocunque tempore, interdiu ac noctu, ſi opus ſit, ſine alterius partis incommodo, daturum eſſe, ita tamen ut nulli conſiliarii, aliive miniſtri, niſi Archi-Epiſcopi vel adminiſtratoris perſona præſens ſit, intromittantur. y)
1587. Anno MDLXXXVII conventui Numburgenſi, quo confraternitas Saxonica, Haſſiaca
1590. & Brandenburgenſis firmata; anno MDXC Torgenſi, quo de ſuppetiis Henrico IV. Galliæ regi mittendis
1598. tractabatur, interfuit. z) Anno MDXCIIX patri ſucceſſit in electoratu, abdicato juxta capitulationis modo recitatæ formam Archi-Epiſcopatu, & filio CHRISTIANO WILHELMO in ejus locum poſtulato.

i) *LVNDORPIVS* p. 1.

k) Saxoniæ lib. XXI. p. 563. & ſequ.

l) Rentſch im Brandenb. Cederhayn p. 50.

m) *THVANVS* lib. LXXXVII. p. 764. b. *WERNERVS* in vita ejus.

n) *PETRVS BERTIVS* lib. III. Commentar. rerum Germanicarum hanc inſcriptionem falſo ad a. 77. refert. *Autores* Chronici Saxonici p. 667.

o) *SIMON SCHARDIVS* de rebus geſtis ſub Maximiliano II. Imp. p. 2441. tomo IV. *THVANVS* lib. XLV. p. 935. *LVNDORPIVS* in continuatione SLEIDANI tomo lib. X.

p) de qua in pace religioſa ac receſſu Imp. de a. 1555. §. und nach dem den Vergleichung Sed de validitate ejus vid. *RVMELINVS* ad Aur. Bullam parte III Diſſ VI. corollar. 4. & in Additionibus *MYLERVS*. Item *BVRGOLDENSIS* ad inſtrumentum pacis parte I. Diſcurſu I. d. 8. & parte II. Diſc. 10.

q) Totus actus vid. apud *ARVMÆVM* de comitiis, c. IV. n. 113.

r) Juris publici lib. IX. c. 2. n. 198.

s) *WERNERVS* in vita Archi-Epiſcopi. *THVANVS* lib. LVII. p. 1152. *OLEARIVS* Halygraphiæ parte II. p. 295.

t) Exhibet hanc *HORTLEDERVS* tomo I. lib. V. c. 29.

u) Vid. *DRESSERVS* in Iſagoge Hiſtorica, parte IV. p. 125. *LIMNÆVS* lib. III. c. 10. num. 17.

x) *Autores* Chronici Saxonici p. 688. *WERNERVS* d. l.

y) CHYTRÆVS lib. XXVII. p. 763. & ex eo LVNDORPIVS cit. tomo II. lib. XXV. ad annum 1585.

z) Reuſch d. l. p. 51.

§. 63.

Is anno MDLXXXVII Wolmerſtadii natus, poſtquam pater electoratum, ipſe adminiſtrationem Archi-Epiſcopatus adeptus, annoque MDCVIII. XXI auguſti ſolenniter inauguratus & ſumma rerum ipſi tradita fuit. a) Gratulatus eſt ipſi hunc honorem celeberrimus Salanæ academiæ jure conſultus Arnoldus de Reyger oratione eleganti de Archi Epiſcopi & principis boni dignitate & officio. Anno MDCXI noſter, unaque Johannes Sigismundus elector & Johannes

CHRISTIANVS WILHELMVS.

1608.

1611.

hannes Georgius fratres, inveſtituram, ut vocant, ſeudi ducatus Pruſſiæ a Sigismundo III. Poloniæ rege more majorum impetravit Varſaviæ. b) Sed quod
1625. icto a. MDCXXV Lauenburgi cum rege Daniæ affini ſuo fœdere, arma contra cæſarem tuliſſet, c) proſcriptus, & a ſuis quoque, qui in capitulationis articulos ab ipſo peccatum cauſabantur, deſertus fuit. d) Itaque ad externos principes, & demum ad Guſtavum Adolphum Suediæ regem, qui exulibus & oppreſſis ob religionem Germanis tutum in ſuum regnum refugium publico diplomate patefecerat, e) confugit, opis petendæ & maxime pecuniæ cauſa, qua militem legeret. Interim canonici eccleſiæ Magdeburgenſis non injuria metuentes, ne dignitas Archi-Epiſcopalis ad Romano-catholicum devolveretur, & ipſi ad papiſticam religionem adigerentur, in Auguſtum Saxonem
1625. electoris filium, quem jam tum anno MDCXXV in coadjutorem cum ſpe ſucceſſionis poſtulaverant, f) a. MDCXXIIX Archi-Epiſcopatum contulerunt. g) Certior de hiſce factus imperator, ut primatum illum eccleſiæ catholicæ redderet, electione novi præſulis collegio interdixit; Saxonem vero per literas monuit, ne in poſtulationem filii ſui conſentiret, cum & ille propter diverſam religionem ad eligendum hi propter nuperam in bello Danico rebellionem plerique omnes, eſſent inidonei. Sed jam illi feſtinata electione rem præcipitaverant, ut prius omnia perficerentur, quam literæ ad eos cæſaris pervenirent. Itaque a Saxone

re-

reſcriptum, ſe non poſſe ſine honoris & famæ jactura acceptam ſemel filii dignitatem in conſtanti levitate omittere. h) Cæſar hoc reſponſo non contentus, ut Archi-Epiſcopatus filio ſuo Leopoldo Wilhelmo conceſſione ſummi pontificis traderetur, facile obtinuit. i) Poſſeſſionem ille tamen ſtante adhuc cum Saxone controverſia non ſtatim apprehendit, ſed in ditione præſidia diſpoſuit, ut ſi quid Magdeburgenſes, in Saxonem vicinia & religione proniores, molirentur, inhærenti cervici milite coërceri poſſent. k) Multum ab his incommodi paſſa eſt urbs Magdeburgum, nam & in militiam cæſaris ad arbitrium Wallenſteinii ſummi cæſarei exercitus præfecti conferre cogebatur, quibus exacerbati cives inſciente aut diſſimulante magiſtratu naves aliquot frumentarias, ad Wallenſteinium devehendas diripuere. Irritatus eo facinore Wallenſteinius miſſo ad Magdeburgenſes Tribuno juſſit ut ſuis impenſis integram cæſari legionem alerent, hocque negato urbem obſidione cingi, & ne quid importari commeatuum poſſet curari fecit anno MDCXXIX menſe martio. Sed & inſuper præſidium cæſareum admitti voluit. Quæ res cum admodum videretur dura Magdeburgenſibus; tueri ſtatuerunt ſuam igne, ferro, morte, libertatem, repetitisque eruptionibus magna intulerunt cæſareanis damna. Tandem Wallenſteinius ſive quod expugnandæ urbis mandatum non haberet, ſive territus difficultate operis, evocatis ſponte proceribus certam 1629.

pecuniæ ſummam pactus, ad extremum hac quoque remiſſa obſidionem ſolvit exeunte menſe ſeptembri.l) Cæterum cum procedente tempore imperatoris legati, Leopoldi Wilhelmi nomine inaugurationem Halis in ditione Halenſi & Magdeburgenſi procurarent, templa vindicarent, orthodoxæ religionis canonicos exautorarent, Romanæ eccleſiæ ſtudioſos inducerent, & ita omnia ad omnigenam reformationem ſpectarent, novæ diſſenſiones ortæ ſunt, præcipue quod & in ipſa urbe qui erant Romano-catholici, novi aliquid moliri viderentur. Nec defuerunt, qui hæc tumultuandi initia ad Chriſtianum Wilhelmum tunc in Suedia commorantem deferrent. Ille igitur jam non amplius propoſitum ſuum differendum eſſe ratus, poſtulata ſua apud regem urgere cœpit. Rex quantam poterat auxilii promiſit ipſi; poteſtatem quoque fecit, ut ab argentariis mercatoribusque quantum ubique poſſet, pecuniam in nomen ac fidem ſuam ſumeret mutuam, attamen ne adminiſtrator incepta præcipitaret monuit; caute potius quam præpropere ageret, ſimulata pœnitentia & culpæ deprecatione apud cæſarem. Sed ille tentatis prius per ſecretarium ſuum Magdeburgenſium animis, feſtinato itinere cum ſex comitibus & Johanne Stalmanno Suedico legato per medios cæſarianos Magdeburgum
1630. ignotus acceſſit VI kal. auguſti anno M DC XXX. Re intra paucos dies compoſita ipſis calendis auguſti in magna civium frequentia fœdus cum rege Suediæ pu-

publice percuſſum eſt. Adminiſtrator mox publicato edicto m) omnes Archi-Epiſcopatus incolas ad expellendum religionis ac patriæ hoſtem in armis ſibi præſto eſſe juſſit. Delectus itaque pro ſe ac rege Suediæ inſtituit, & cohortes aliquot Wolmirſtadium & Calbam miſit, quæ cæſarianis inde abactis cum copioſo commeatu & XXIV monachis captivis in urbem reverſæ ſunt. Bernburgum quoque ditionis Anhaltinæ vi cepit. Proſpero hoc ſucceſſu paululum animoſior factus majora meditari & Halam intercipere aggreſſus eſt. Halenſes antea de conſilio admoniti plerique adminiſtratori favebant eumque accepto ſigno cum milite admiſerunt. Cumque cæſariani in arcem Mauritii refugientes hoſtium declinarent impetum, adminiſtrator admotis tormentis eos obſidere cœpit. Sed poſtquam Tillium contractis copiis ſibi reditum præcludere moliri accepiſſet, relictis omnibus tormentis omnique apparatu Magdeburgum ſe recepit die XVI auguſti. Crebræ exinde velitationes inter cæſarianos & Magdeburgenſes commiſſæ, dum illi novos delectus & diribitoria disjicere; hi illos tota ditione exigere ac finibus ſuis propellere ſategerunt. Tillius vero & Pappenheimius, quoniam urbem obſidione cingere decreverant, omnes vires vertere ad expugnanda circa Magdeburgum loca; atque paucorum dierum ſpatio Froſam, Schonebekam, Calbam, Stasfurtum, Eglam, aliaque in poteſtatem redegerunt. Inter hæc Guſtavus Adol-

phus rex Suediæ, cujus plurimum intererat Magdeburgum ſalvum eſſe, Theodorum Falckenbergium Tribunum militum & aulæ ſuæ præfectum Magdeburgum ablegat, ut illius conſilio bellum adminiſtretur, qui etiam mutato habitu profectus proſpere advenit, animumque plebi & magiſtratui addidit. Et hic quidem multa ſed plerumque irrito eventu molitus in cæſarianos parum profecit: adeoque Pappenheimius conſtanter in obſidione perſeveravit. n) Sed maturato opus erat, etenim Guſtavus Adolphus obſeſſis opem laturus haut procul aberat. Hinc igitur
1631. Tillius menſe aprili anno M DC XXXI ex Mecklenburgenſi terra reverſus acrius oppugnationem urgere cœpit, munitiones etiam caſtellaque, quæ remorando hoſti ab urbe certis ſpatiis abjuncta extructa erant, intra paucos dies expugnavit. Sudenburgum porro & Neuſtadium duo ſuburbia, quæ, ut vires in exterioribus munimentis tuendis multum imminutas in urbem contraherent, incenſa & ſolo æquato deſeruerant opidani, ineunte menſe majo occuparunt, & ita ſenſim ad ipſas urbis foſſas pervenerunt. Et jam Tillius metuens, ut rex promiſſum auxilium ultra differret, & partam prope victoriam e manibus eriperet, extrema experiri & urbem cum omnibus copiis invadere ſtatuit. Id tamen prius quam faceret, miſſis aliquoties ad adminiſtratorem, magiſtratum & Falckenbergium literis o) eos monuit, ut maturata deditione ſe propinquo excidio eriperent. Ad ultimas

quas

quas miſerat Tillius, cum jam biduum fruſtra expectaſſet reſonſum, convocato ſenatu militari omnia parari juſſit, ut die inſequente urbs expugnaretur, locaque diſtribuit, quæ quisque aggrederetur. Sic igitur X die maji ſigno dato urbs invadebatur.

Addit. *Perfide id hoſtes fecerunt, & contra jura armiſtitii ſive induciarum. Hæ enim niſi fuiſſent & datæ & acceptæ: cives minime ſomno & quieti dediti aut rerum ſuarum negligentes fuiſſent. Ac ſane hujus rei pœnam omnino luerunt duces hoſtium. Poſt excidium enim Magd. neque Mars neque fors ipſis porro affulſit, ut hiſtorici diligenter obſervarunt, cæſareisque fortuna ad muros Magd. cervices, ut ita dicam, fregit. Add. ſi lubet, librum noſtrum:* Hundertjähriges Denckmahl *a. 1731. 8.*

Erat circiter ſeptimam matutinam & civium pars nocturnis vigiliis fatigata permittentibus præfectis domum ad curanda corpora conceſſerat, militum plerique in ſtatione quiescebant: adminiſtrator & Falckenbergius in ſenatu cum primoribus deliberabant de reſponſo Tillio remittendo. Primus Pappenheimius diſtricto gladio ſuos antegreſſus, qua novum opidum ſpectat, vallo potitus eſt p) Huic provolans e curia Falckenbergius cum globo militum civiumque occurrit, & nonnihil retro pulſus ceſſurus videbatur Pappenheimius, niſi Falckenbergius inter promtiſſimos pugnans cecidiſſet. Interim alia etiam parte

te Tillius urgebat, & omnibus ſimul locis cedere turbati cives incipiebant. Inde effractis impetu portis equitatus & Croatæ introducti ſunt, qui per urbem diſcurrentes miſerandam ſtragem ediderunt. Sævitum in viros fœminasque promiſcue, neque ætati aut ſexui parcitum. Mixta cædibus ſtupra & rurſum expleta libidine ferro ſævitum. Solum incendium, quod invaleſcente vento totâ jam urbe vagabatur, ſtragi finem impoſuit; tanta enim ejus fuit vis, ut victores quoque ipſos æſtus expelleret. De primo ejus incentore res incerta eſt. Sane Pappenheimium, quem plerique ſcriptorum incuſant, parum abeſt, quin prorſus abſolvamus, cum præſertim Helmſtadii in ſolenni convivio præſentibus plerisque profeſſoribus conceptis verbis juraverit, plane ſe immunem eſſe ab hac culpa, ejusque juramenti teſtes convivas profeſſores advocaverit, & ſi forte unus atque alter hiſtoriam belli Germanici ſcripturus eſſet, id diſerte commemoraret, oraverit.

Addit. *Vera hæc ſunt, quæ de Pappenheimii petione affert cl. autor. Verum talia ſcribi voluit dux ille, quæ cives diu multumque doluere. Omnino enim hora VII. X. maji Pappenheimius domum, quæ ſuperatæ portæ proxima erat, incendi juſſit ad diſtinendos cives. Secuti ſunt milites, ac paſſim ignem & piceas coronas domibus injecerunt. Hæc conſtans apud nos eſt fama. Itaque*

que

que ſi vel mens Pappenheimio non fuerit, urbem incendio delendi: id tamen primus fecit, quod reliqui milites continuarunt. Unde vero piceæ coronæ, niſi a ducibus eſſent ipſis datæ ad damnum inferendum? Culpam ſane in hunc ducem conjicit PVFFENDORFIVS *ſcriptor graviſſimus L. III. rerum Suec. §. 15. it.* LANSBERGIVS *in Guſtavi Magni bell. German. p. 266. Taceo alios.*

Tam miſeranda fuit urbis facies, ut & ipſe Tillius collucentem late urbem cumulosque cæſorum & manantes tabo vicos obequitans illacrymaſſe feratur. Cæſorum numerum referre vix quicquam poterit, cum plures flamma, quam ferro periiſſe in confeſſo ſit. Sunt tamen qui ad XXXII millia peremtorum in Albim tantum projecta memorenr, q) ut taceamus eos, quos procidentium ædium ruinæ ſepeliverunt. Tam paucæ interfluxere horæ inter urbem hanc magnam & nullam. r) Guſtavus Adolphus triſtiſſimum hoc nuncium non ſolum dolente animo ut religionis & fœderis ſocius accepit, ſed & de tanta hoſtium immanitate ſerio vindicanda cogitavit. In publicam vero lucem ſcriptum emiſit, quo ſe in liberanda urbe a moræ & incuriæ culpa expurgabat. Sed ad Chriſtianum Wilhelmum revertimur. Is in expugnatione urbis glande plumbea ſiniſtrum crus trajectus & capite graviter contuſo in Pappenheimii poteſtatem pervenerat. s) Hic eum ad cæſarem Viennam, cæ-

ſar Neoſtadiuum abduci & in cuſtodia haberi cura-
1632. vit, t) Anno M DC XXXII cum ad illum catholi-
ci ſacerdotes crebro itarent, pontificiam religionem
amplexus & in ſacello aulico ſolenni pompa profeſſus
eſt. Nec tantum profeſſus, verum etiam ſuo ſub
nomine '*ſpeculum veritatis*, cui juſſu regis Daniæ
CASP. ERASM. BROCHMANNVS & MELCH.
NICOLAI ſcripta oppoſuere, evulgari anno M DC
1634. XXXIV paſſus eſt. E cuſtodia liberatus maluit apud
imperatorem remanere, quam ad ſuos reverti, ne,
ut volunt aliqui, magis liberationis, quam pietatis
cauſa Auguſtanæ confeſſioni nuncium remiſiſſe vide-
1632. retur. u) Eodem anno M DC XXXII florentibus
jam ubique Suecorum rebus Pappenheimus Magde-
burgum deſerere coactus Bannirii præſidiis locum
fecit. Sic ergo priſtini ex nupera clade qui ſupere-
rant incolæ, hinc inde reverſi domos ac templa ev-
angelica iuſtaurare cœperunt. In quo quidem rex
Guſtavus Adolphus ſatis benevolum ſe exhibuit pro-
motorem, niſi quod Bannierio tres præcipuas Archi-
Epiſcopatus præfecturas, Eglen, Adersleben, Hadmersleben, dono daret, ægre id ferentibus Capitu-
1635. laribus. x) Anno M DC XXXV in pace Pragenſi
Archi-Epiſcopatus Auguſto Saxoni adjudicatus eſt ea le-
ge, ut Chriſtiano Wilhelmo quotannis inde duode-
cim imperalium millia perſolveret. y) Anno MDC
1636. XXXVI Magdeburgum acri obſidione aliquamdiu
conſtrictum in poteſtatem Saxonis pervenit. Anno

MDC

MDCXLIIX in pace Oſnabrugenſi loco duodecies mille, quos modo nominavimus, imperialium, Chriſtianus Wilhelmus cœnobium & præfecturam Zinna & Loburg accepit, indeque vitam ſuſtentans in ipſo anni MDCLXV exordio deceſſit, nulla maſcula prole ex triplici matrimonio ſuſcepta. Prima uxor fuit Dorothea Henrici Julii ducis Brunſuicenſis filia, anno MDCXLIX extincta. Altera Barbara Euſebia Jaroslai comitis in Martinitz filia, vidua comitis in Zvirben ſupremi judicis provincialis in Bohemia, quam anno MDCLVII amiſit. Tertia comes quædam Solmenſis fuit. z) 1648. 1665. 1649. 1667.

a) *Idem* p. 54. OLEARIVS Halygraph. parte II. p. 352.

b) Illuſtravit hanc Secretarius regius *FELIX FIDLERVS* nobilis Prutenus libro II. de rebus geſtis regiis.

c) Vid. *EVERH. WASSENBERGIVS* in Floro Germanico, p. 72. & 83.

d) Vid. *litera* Electoris Saxoniæ ad imperatorem in Theatri Europæi tomo I. ad a. 1628. p. 1083.

e) Diploma iſtud extat in cit. Theatri Europæi tomo I. p. 1041. Add. *JO. LOCCENII* hiſtoria Suedica lib. IIX. p. 550.

f) Vid. citatus ex theatro Europæo locus.

g) CAROLVS CARAFFA in Commentario de Germania ſacra reſtaurata p. 394. ADOLPH. BRACHELIVS Hiſtor. lib. III. p. 143.

h) Harum literarum exemplum, capitularium excuſationes, nec non alia hanc rem illuſtrantia videri poſſunt in *Theatri Europ.* tomo I. ad a. 1628. p. 1082. & ſequ. uſque ad 1087.

i) Vid. *Theatri Europ.* tomum II. p. 46. ubi Breve pontificium hanc ob cauſam a papa ad imperatorem miſſum non ſine omine prorſus diſparuiſſe notatur.

k) CARAFFA d. l. BRACHELIVS d. l. WASSENBERG d. l. p. 136.

l) BRACHEL. lib. III. p. 152. & ſequ. *WASSENBERGIVS* d. l. & pleniſſime *Theatrum Europæum* tomo II. a p. 53 uſque ad 67.

m) Servatur illud in tomo II. *Theatri Europæi* p. 265.

n) Vid. de hactenus dictis CARAFFA d. tract. p. 417. & ſequ. *WASSENBERG.* p. 170. & ſequ. PET. BAPT. BVRGVS in marte Sveco-Germanico lib. I. p. 43. *BRACHELIVS* lib. IV. p. 174. & ſequ. *LOCCENIVS* hiſtoriæ Suedi. lib. IIX. p. 570. *Theatrum Europæum* tomo II. p. 264. & ſequ.

o) Harum exempla habentur in d. tomo II. *Theatri Eur.* p. 355. ſ.

p) Præter CARAFFAM & *BRACHELIVM* de hoc teſtatur *JOH. HOR. SCOGLIVS* in Chronologia, eccleſiaſticæ ſuæ hiſtoriæ addita.

q) JO. LÆTVS in compendio hiſtoriæ univerſalis, periodo german. c. 36. ſect. II. art. 2. p. 535.

r) Plenius de hac πανολεθρία videri poſſunt CARAFFA d. l. p. 437. usque ad 444. P. BAPT. BVRGVS, p. 96. usque ad 113. *WASSENBERG* p. 170. usque ad 189. *PRACHELIVS* d. lib. IV. p. 187. & ſequ. *P. LANSBERGIVS* in bello Germanico Guſtavi M. p. 259. *Theatrum Europ.* tom. II. p. 354. usque ad 373. Annus excidii his Eſaiæ verbis continetur: In Ira DoMInI tVrbata eſt terra, erItqVe Inhabltator eIVs, qVasI esCa IgnIs, c. IX. v. 19.

s) CARAFFA p. 443.

t) *Theatrum Europ.* tomo II. p. 502.

u) Vid. *Theatrum Europ.* d. tomo p. 599. BRACHEL. lib. IV. p. 220.

x) Adi *Theatrum Europ.* p. 613. & ſequ. ubi litteras ad Oxenſtirnium regni Suedici Cancellarium hac de re datas reperies.

y) BRACHELIVS lib. V. p. 246.

z) Reuſch im Brandenburgiſchen Stammbaum p. 54. 55. item SPENER ſylloge Genealogico-Hiſt. p. m. 447.

§. 64.

AVGVSTVS. Auguſtus Saxo, cui, ſic ſatis deſolato per triumviratum, quem initio præcedentis §. tetigimus, Archi-Epiſcopatu, pace Pragenſi anno MDCXXXV hæc dignitas ad dies vitæ confirmata erat, anno MDC

1638. XXXIIX, Halis ſolenniter introductus eſt. a) Defuncto anno MDCLVI ſereniſſimo parente ex teſta-

ſtamento accepit IV. præfecturas Magdeburgicas, Querfurt, Juterbock, Dame & Burg, ac in Thüringia Sachſenburg, Eckartsberge, Nebra, Freyburg, Sangerhauſen, Langenſaltz, Weiſſenſee, Sitzingenbach, Heldrungen, Wendelſtein & Weiſſenfelß, ubi Gymnaſium a ſuo nomine Auguſtum dictum, ut & pulcherrimam arcem condidit, ejusque primum poſuit lapidem anno MDCLXIII. X. Jul. b) Comitatum 1663. Barby, ultimo comite anno MDCLIX extincto adivit & titulo adjecit. Anno MDCLXIII primo modernorum comitiorum anno ab iis votum & ſeſſionem inter principes obtinuit, ſub nomine & compellatione Saxonis Querfurt, de reliquarum tamen Saxoniæ domuum conſenſu cum iisdem alternaturus. Sed & id impetravit, ut ad civitatem Magdeburgenſem miſſæ, ad imperii congregationem convocatoriæ literæ irritæ ſint factæ. Anno MDCLXVI in ordinem 1666. redacturus Magdeburgenſes, militem in eorum campum eduxit, quod & jam tum fecerat elector Brandenburgicus, inſtigatus jure in hanc Archi-diœceſin exſpectantiæ, in inſtrumento pacis ſibi dato; maluit vero civitas incertas conditiones coire, quam extrema obſidionis exſpectare; homagium ergo fidelitatis ac ſubjectionis præſtitit utrique. c) Ex matrimonio Annæ Mariæ Megapolitanæ ductæ anno MDCXLVII & MDCLXIX mortuæ ſuſcepit anno MDCXLIX Johann. Adolphum, MDCL Auguſtum, MDCLII Chriſtianum, MDCLVII Henricum, MDCLIX

Albertum, & filias MDCXLIIX Magdalenam Sybillam, MDCLIII Annam Mariam, MDCLIV Sophiam, MDCLVI Chriſtinam. d)

a) *Theatrum Europ.* T. III. p. 988. d. *Topographia* Saxon. jux fol. 112.

b) OLEARII Halygraph. P. II. ad h. a.

c) H. BREWER in continuat. hiſtoriæ Brachelio-Thuldenianæ part. VIII. lib. III. c. 7. p. 257. Huc pertinet memorabile *pactum Bergenſe*, quod Elector cum civibus iniit a. 1666. de quo apud GENGENBACH. in hiſt. Magd. plura.

d) SPENER. l. c. p. 411.

1680. Exemto a. MDCLXXX. rebus humanis Auguſto ad ſereniſſimum Electorem Brandenburgicum titulo ducatus pervenit Archi-Epiſcopatus noſter, prout diſpoſitum fuerat in inſtrumento pacis, de quo ut plenius conſtet, ipſe inſtrumenti articulus XI huc faciens conſulendus, quem ideo coronidis loco adſcribemus: *Similiter concedatur Domino Electori expectantia in Archi-Epiſcopatum Magdeburgenſem, ita quidem ut quandocunque eundem morte aut ſucceſſione in electoratu, vel quacunque alia ſucceſſione præſentis Adminiſtratoris Domini Auguſti ducis Saxoniæ vacare contigerit, totus iſte Archi-Epiſcopatus cum omnibus eo pertinentibus territoriis, regalibus & juribus, prout ſupra de Epiſcopatu Halberſtadenſi diſpoſitum eſt, Domino Electori, ſuisque poſteris & ſucceſſoribus hæredibus & agnatis maſculis, non obſtante ulla electione aut poſtulatione interea temporis, ſive clam ſive palam facta tradatur & conferatur, in feudum perpetuum, ſitque eidem vel iisdem jus autoritate propria vacantem apprehendendi poſſeſſionem.*

FINIS.

S. D. G.

Series

Series Archi-Epiſcoporum.

1.	*Adelbertus*	p. 29	15.	*Fridericus I.*	80
2.	*Giſelarius*	35	16.	*Wichmannus*	82
3.	*Daganus*	40	17.	*Ludolphus*	91
4.	*Walthardus*	43	18.	*Albertus I.*	93
5.	*Gero*	45	19.	*Burchardus I.*	98
6.	*Hunfridus*	47	20.	*Wilbrandus*	ibid.
7.	*Engelhardus*	48	21.	*Rudolphus*	99
8.	*Wernerus*	49	22.	*Rupertus*	ibid.
9.	*Harduicus*	53	23.	*Conradus II.*	100
10.	*Henricus I.*	58	24.	*Güntherus I.*	102
11.	*Adelgotus*	61	25.	*Bernhardus*	103
12.	*Rotgerus ſ. Ruggerus*	68	26.	*Ericus*	104
13.	*Norbertus*	69	27.	*Burchardus II.*	106
14.	*Conradus I.*	78	28.	*Henricus II.*	ibid.

29. *Burchardus III.* 107
30. *Heideccus.* 111
31. *Otto* 112
32. *Theodoricus* 115
33. *Albertus II.* 119
34. *Petrus de Bruma* 120
35. *Ludovicus* 121
36. *Fridericus II.* 123
37. *Albertus III.* ibid.
38. *Güntherus II.* 125
39. *Fridericus III.* 130
40. *Johannes* 133
41. *Erneſtus* ibid.
42. *Albertus IV. Cardin.* 138
43. *Jo. Albertus* 148
44. *Fridericus IV.* 156
45. *Sigismundus* 157
46. *Joach. Fridericus* 159
47. *Chriſtianus Wilhelm.* 168
48. *Auguſtus.* 180

